







1
6
532











DISPUTATIO MEDICA
Quam
de Aurea Catena
Jovis Cœlo demissa,
D. M. Septembr: A. M DC LXXXV. Hor. ab 8. mat.
In Auditorio majori habendam intimat.
Præses
IOH. DANIEL MAIOR, D. & P.P.
RESPONDENTE THESIUM AUTORE,
JOHANNE CRUSIO,
Holsato, Philiatro.

Apibus Mel, Araneis Venenum.

KILIÆ HOLSATORUM,
Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.



Reverᵐᵒ ac Serᵐᵒ Principi ac Dn.

DN. CHRISTIANO ALBERTO,

Hæredi Norwagiæ, Poſtulato Coadjutori Epiſcopatûs Lubecenſis, Regnanti Duci Sleswigæ, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt.

Princ. ac Dn. meo Clement.

EXERCITIUM HOC ACADEMICUM

in Signum ſubjectisſimæ Devotionis, cum imploratione perſeverantis Gratiæ,

humillimè dedicat ac offert

REV^mæ SER^tis SUÆ

Subjectisſimus Servus,

Joh. Cruſius.

IOH. DANIELIS MAIORIS,

Ad Virum Iuvenem Nob. & Præstantissimum,

DN. JOH. CRUSIUM, Holsatum,

Medicinæ, ac Polymathias selectioris reliquæ Cultorem
planè indefessum,

EPISTOLA GRATULATORIA,



Cum de Catenâ Jovis Aureâ
publicè disputaret
Kiliæ, d. 26. Septembr. An. 1685.

S. P. D.

Rectè facis, *Mi* CRUSI, quod *Disputationem, de Catenâ Jovis Aurea*, instinctu meo quamdiligentissimè â Te elaboratam, tanquam Primitias cultissimi Studii tui Medici, maximam sui partem intra Ædes meas, per Quadriennium, in Illustri hoc Athenæo, laudabiliter transacti, humillimè devolvis ad Pedes SER^{mi} Nostri PRINCIPIS, & protecturum ipsas vivacissimum Radium imploras TANTI APOLLINIS, *Fundatoris* subjectissimæ Academiæ suæ, ante hos Annos XX. *munificentissimi*. In Cujus Solo enim, ipsoque, ut sic dixerim, Sacro Sinu, eædem, tanquam Solsequium aliquod, semel natæ ac enutritæ sunt, ad quosnam Calores alios, quibus altius semper altiusque ducantur, felicius aut tutius se convertant? Idque eo magis, quo Res ipsa in obscuro magis atque difficili posita est.

Ad secretiorem enim Sui Ipsius Cognitionem, utcunque altè descendere; & hoc scopo, in Corpore Humano, ad Solos Nutus Animæ hospitis, Spirituum subtilissimorum machinationibus agitato, ex minimis Maxima, penèque innumera ex iis, quæ ob angustiam Spacii, pauca videntur, post tot Seculorum partim errores, partim Ignaviam elicere; aut quod idem, longè latèque diffusos stupendorum Operum DEI Campos, compendio quasi ad Mappam Sciagraphicam redactos, curioso contra Atheos quosvis obtutui sistere; Selectiores (Mathematico-Technicas) Polymathiæ Secularis Partes plusculas, non supra communem modò Imperitorum captum, Glandem ac Fœnum Fruge antiquiora habentium, sed vel præter ipsam Eruditorum hinc inde Exspectationem, ipsis Animæ Organis & Molitionibus, Speculationem profundam magis magisque defatigantibus, accommodare; utque paucis cuncta complectar,

An-

Anthropoſophiæ Experimentalis concipiendæ planè Novæ, bene ordinata quædam Fundamenta disponere, quibus ingentia magnæ Molis Volumina poſſint ſuperſtrui; atque Hominem demum, ut *Microcosmum*, imò Macrocosmum Scibilium, eorumque Exemplar palpabile ac ſpirans, omnes dicendi Tropos exoſum, ſtatuere in Theatrum ſub-acutulè hodie philoſophantis Orbis Eruditi; niſi inſigniter fallor, Res eſt adeò ampli & generoſi Conaminis, ut meritò prædicare Te habeam, qui primas Vias à Me Tibi monſtratas, tam egregiè exceſſurum Te probas præſente induſtria; & nobile interim ejus Specimen jam ſiſtis.

Venerunt quidem ſub Initium hujus Seculi Venerabiles *Fratres Roſeæ Crucis*, (Corpus ſine Capite) & neſcio quid inſoliti, in Regno Naturæ ac Artis jactantes, atque ideò *Illuminati* ad Tempus dicti, ſed post detectas fraudes facti Noctuæ, & ob hoc moxmox vocati *Inviſibiles*, per viam Paralogismorum & Allegoriæ multiplicis, haut molliter contortæ, Orbem Literatum duxerunt Ænigmatibus, Solem, Lunam, Stellas reliquas, Galaxiam, Fulmina, Fulgura, Pluvias, Nubes, Irides, Imbres, Oceanos, Flumina, Metalla, Gemmas, Scopulos, Herbas, Arbores (& quidni Animalium Fœtus quoque inter Crines, tanquam inter Nemora, ſuave captantes Pabulum, & Crocodilos & Elefantes?) dicendo, eſſe in Nobis per quandam Imaginem impreſſa. Cui Sectæ, addictum, præter Paracelſi, Helmontiique Aſſeclas, vel Adeptorum Gregem, *Robertum de Fluctibus* (quadantenus & *Schröderum*) & apud Pruſſos præſertim, *Franc. Tidicæum*, laudem ex iſta hæreſi venatos; cum crypto-Bombaſtinis hinc inde in hunc usque diem, inſuper-habita ſaniore Philoſophia Corpuſculari, ad Furnos ſuos, tanquam ad Deorum Sacella, Sapientiæ Lapillum inde ſpectantibus, abundè conſtat.

Quasi verò ad Gloriam nostram magis faceret (propriè tropicève) & Cœlum & Stellas, & Meteora & Marmora, (& nescio quid aliud) gestare in Corpore, & juxta Apparatum eorum, *Microcosmum* dici; quàm rectæ Clenodio Rationis frui.

Ab his interim paulo aliam Viam ire videntur Philosophi nostri Temporis, Abstractionum Fabri. Et videlicet hi suum quendam *Microcosmum* volventes in Animo, cum multùm majore Colore Veri, dicendo; Hominem per Intellectum fieri Omnia. Tanquam velocem quandam Aviculam dixeris, quæ iter Avium Paradisiacarũ emensa, intervallo post Se relicto longissimo, ad extremas Cœlorum omnium Voragines, Celeritate inæstimabili, prævertat Auroræ Pterygium, ex Homine fingens nescio quid. Nam quod *Pythagoram* totum quasi factum didicimus Numerum; *Euclidem* & *Platonem* Schemata Geometrica; *Archimedem* Circulos; *Apollonium* Sectiones Conicas; *Democritum*, *Lucretium*, & *Epicurum*, Atomos; *Platonem* iterum plane DEUM, Ideam, Materiam, Mundique Animam; *Averrhoëm*, cum Morphitis suis, Formam; *Heraclitum* Ignem Pancosmicum; *Aristotelem* Phaëtontem, cum imaginariis Elementorum Quadrigis, minùs providè actis, cuncta turbantem, & tantum non Flammis plectentem, universam Sphæram Cœli Philosophici; *Atlantem*, *Ptolemæum*, *Copernicum*, *Tychonem*, Cœlum; *Kircherum*, in Ecstasi sua, Solem; *Hevelium* illustrem, Cometam & Lunam; *Wasmuthium* nostrum peringeniosum, restitutos Annales Temporum; *Boylæum* & *Ottonem de Guerike*, Aërem; *Thaletem* Aquam; *Americum* & *Columbum*, Tellures novas; *Reyherum* itidem nostrum, Melano-Cameram, quâ correctiorem Orbis habitabilis non habet; *Morhofiumq;* etiam nostrum (proh quantum Polyhistorem!) Scyphum Vitreum, Clamore vocis ruptum, & Transmutationem Metallicam; *Adeptos*, Aurum; *Meq;* ipsum (præfiscini!) Monetam ex omni Metal-

ſi genere; *Kircherum* iterum, Magnetem; *Xerxem*, Platanum; *Homerum*, aut Batrachologum quemvis alium, cum *Ariſtophane*, Ranam; *Petrarcham* Felem; *Lipſium*, Canem; *Apulejum* Aſinum, *Catullum* Paſſerem; *Ovidium* Pulicem ſordidum; *Cleopatram* Aſpidem; *Xantippen* Pluviam; J. C. *Scaligerum* cum Scholaſticis, Altercationem; *Cardanum* Somnium; *Thomam Hobbes* Incertitudinem; *Socratem* Ignorantiam; *Pyrrhonios Scepticos*ve Dubitationem; & *Carteſium* circumſpectum, ipſammet Cogitationem, & Pinealem Glandulam: iſthæc omnia Fulmineis Animi Machinationibus debentur.

Quinimo eandem Mentem noſtram, ab Infinito quidem Ente productam, ſed pertæſam quaſi nativæ Suæ Finitudinis, Excurſum quandoque moliri, ad Vias etiam omni Seculo inaccesſas, perque ambitioſum Imaginationis impetum, ad Plura Omnibus (fruſtra quamvis) eniti, ſi in Actionum Moralium genere, *Concupiſcentias* mecum conſideres, *Mi* CRUSI, in Societate Civili, quâ Sacrâ, quâ Profanâ, nunc aut olim, Medicæ Praxi immerſus, ex Omnibus Hominum Ordinibus nullum invenies, quin ſparſim in iis aliqui ſint Appetitûs tam vaſti, atque adeò latæ, ac inemenſurabilis Conſcientiæ, ut integræ Provinciæ ac Urbes per ipſam posſint trajici. A cujusmodi Macrocosmis defendat & abſtrahat nos DEUS!

Tibique quàm longè purior Mens ſit, undecunque perſpecta in hoc Loco probat infucata Tua & Pietas & amabilis Morum Modeſtia; & quàm non niſi ad alta quævis, honeſta, egregia, Ægris quondam & poſteà præſertim, Poſteris profutura, hoc eſt, extendendis Scientiæ Finibus facientia, perdius pernox, improbo ac indomito Labore, adſpiret nobile Pectus Tuum; præter ante-laudatos Celeberrimos Viros *Sam. Reyherum*, Mathematicum, atque *Morhofium*, Academiæ Oratorem, præcipuos hucusque Mecum ac fidelisſimos ad Iſotheismum, ut

Hippocraticâ vocè utar, ex Polymathiâ comparandum Duces; publicum hoc & aureolum lectissimæ Eruditionis Specimen, quod edis, testatur affatim: sintque probaturi eandem excitatæ Mentis Tuæ Industriam, si vel viverent, vel coram adessent, nominatiores quivis, quos antequam huc venires, Præceptores habuisti, non minus Doctrinâ, quàm informandi peritiâ, candore, & felicitate claros; in hac Cimbriâ quidem post *Virum Clar. Joh. Wigandum*, triennalem ad quævis Humaniora, in Flensburgensi Urbe Manuductorem ac Hospitem tuum, ob præstitam Fidelitatem non sat laudandum, *Vir admodum Reverendus & Præclarissimus, Dn. Trochillus Arnkiel, Præpositus Holsaticus*, Ipse totus quantus Eruditio, Labor, Candor & Pietas; cui in Philosophicis Te multa debere, multoties ex ore Tuo expertus sum; extra Patriam verò, illustria Dantiscani Gymnasii Lumina, Vir πολυμαθέστατος, inclytæque Urbis Suada & Charis præcipua, Dn. *Joh. Petrus Titius*, Amicus etiam meus, magni meritò æstimatus, qui Linguam & Calamum, ut comtè quidvis proferres, per Exercitamenta diversi generis, maturè Tibi finxit; *Nobiliss. & Consultissimus Dn. Christianus Rosteutscherus, Licentiatus Juris, huiusque & Historiarum Professor, Gymnasii Inspector*, quandiu isthic ageres, Hospes; & præter Historias, privatus etiam Institutionum Juris Vinnianarum Interpres tuus, quem Græcè quondam (quod planè insolitum) in Regiomontanâ Academiâ publicè & æquè prompte disputantem, atque Vernacula loqueretur, quivis genuini Legitimæ Scientiæ Amasii in Exemplum & Obeliscum, ô utinam sibi statuere hodienum omnes velint, ne serò postmodum cum pudore subrustico, quo Ignorantiam suam excusent, ingeminare habeant tritum id: *Hæc Græca sunt; nec legere possum, nec intelligere*: quemque primo omnium loco, ob Venerabilem Dignitatem Muneris, & omnium Aures, Animosque in se conversos, nomi-

nare

nare debebam; Vir quondam incomparabilis, fulminei Eloquii, idemque Bibliotheca Ambulans, cui pares oppidò paucos Seculum novit, rectissimè vocandus, *Dn. D. Ægidius Strauchius*, â cujus ore item fideliter pependisti, & vel Jota quævis ac Apices, Oraculi vicem habes; nec immemor unquam futurus *Plur. Rev. Amplissimique Dn. D. Samuelis Schellvvigii*, ipso vultu amabilis, & supra, quam exprimere potes, Comis. Ex quo dignissimo *Strauchii* Successore, sicut perillustre Dantiscanum Emporium, dolorem altè sibi impressum, nunc mitiùs fert; sic eidem magni nominis Viro, *Schellvvigio*, qui facem Tibi eximiam in Philosophico Stadio prætulit, ac reliquis, Laudum portio haud ultima debetur, quod adeo constanter ac pulcre visi sunt ducendum ad summa Studiis Academicis Animum Tuum præparare, ut per DEI gratiam sperari & exspectari possint de *Te*, non nisi quævis pulcerrima; judicia prudentissima Maiorum intuito, *Bartholinorum*, *Vitruvii*, *Hippocratis*, Polymathiam cum Technicis, omni nisu Tibi in Disputatioue Tuâ suadentium; intuitoque vel solum exemplum magni Temporum nostrorum Atlantis, *Hevelii*. In hujus enim humanissimi Viri Ædes, ut iterato *Tibi* patuit aditus, sic Verba transmittere ex Animo non potes, quibus qualem esse conveniat accuratum Phaseon Lunarium Observatorem; præter Polymathiam videlicet, quæ præsupponitur, diligentem, constantem, labores minimè exosum, *validâ Imaginatione præditum, delineandi* prætereà, & *pingendi non vulgariter peritum*, (*Selenogr. cap. 8. pag. 210.*) reposcens, *Te*, quantum ad hæc quoque pulcerrimæ Artis Studia, si per Locorum conditionem liceret, reperturus in Ædibus meis fuerit, tam illustris Exempli & Moniti feliciter-memorem.

Id saltem, *Mi Crusi*, si me amas, ac si quicquam Candori meo tribuis, age, ut Nunquam equidem Ociosus, majorem quàm

hucus-

hucusque fecisti, venerationem Nocturnæ Quieti habiturus, aliquàntùm castigatiùs *Te* des Lucubrationibus, nec eas (sæpe ultra ipsam Noctis meridiem) ampliùs protrahendo, ipse Valetudini Tuæ plurimum detrahas. Sub hâc conditione totam Hylen Totius *Microcosmologiæ Curiosæ*, vel *Systematis Anthropologici*, *Mathematico-Polytechnici*, successivè, & nonnisi mollioribus Horis, ad formam insignis, & Posteris profuturi Operis, cum pridem Mortalitas Me hinc abstraxerit, elucubrandi, devolvo in tuos humeros, &, quicquid privatim in Scriniis superest, Disputationis mensuram benè excedens, trado, certum ratus, quò profundiùs *Te* in eas Curas demerseris, hoc firmiùs persuasum iri, verum esse, quod crebrò dixi, Corpus Hominis rectè valens, esse innumerarum penè rerum, ad cultiores Medicinæ, Chimiæ, Architectonicæ, Opticæ, Mechanicæ, Stathmicæ, & aliarum selectiorum Matheseos partiū portiones, ad Statuariam item, Pictoriam, Textoriam, & similes comtas Artes alias pertinentium, Exemplar Archetypum, & ab ipsâ sapientissimâ Manu Dei firmissimè positum Fundamentum. Verbo: *Scibilium Microcosmum.*

Ex cujus dignâ Delineatione, Fama, radiatim Nomini Tuo circumfusa, illud ultra Sortem Terrenam sublimius efferet, ut vel Sidera ipsa trahas in Tui obsequium non secus, atque in *Nummi Emblemate*, quod Frontispicio hujus | Epistolæ præfixum dedi, Phœnicem (Immortalitatis Symbolum) ex illustri *Patino* (*de Numism. Imper. Rom. p. 472.*) vides, capite radiato insignem, erectum insistere Orbi Sidereo; idque instinctu & jussu quondam Augustissimæ Prolis Constantini M. ad denotandam eo tempore, Imperii Romani Tranquillitatem perennem, (nunc etiam maximè necessariam) cum Perigraphe:

FELIX TEMPORUM REPARATIO.

Quam proinde Nobis etiam clementissimè det & conservet DEUS! Vale. Scrib. Kiliæ, d. 25. Septembr. 1685.

Caput I.

Breviarium : §. 1. *Honores in Æsculapium collati, ejusque Familiam;*

§. 2. *In Cleombrotum item, Antonium Musam, Euphorbum, Galenum:*

§. 3. *Novissimeque Henisium, Duretum, Sennertum, Medicosq; Europæ alios:*

§. 4. *Quibus Indigniores quoque interdum perfruuntur.*

§. 5. *Honorum verò istorum, exigua ad Animi Dotes, comparatio.*

§. 6. *Polymathiæ laus ex Hippocrate;*

§. 7. *Et Vitruvio;*

§. 8. *Ipsoque Cæsare, Justiniano.*

§. 9. *Quibus novissime accedit Caspar. Bartholini, &*

§. 10. *Filii, Thomæ Bartholini ac Nicol. Stenonis Suffragium;*

§. 11. *Cum Præsidis Neo-Cosmo, vel Navigatione mentali in Utopiam.*

§. 12. *Transitus ad excusationem Tituli, cum brevi quadam in Natal: Comitem, Strictura.*

§. 13. *CATENA ab Homero descripta, Polymathiam denotans.*

§. 14. *Connexionis Disciplinarum ratio hic quæ subsit?*

§. 15. *Istaque Catena, quatenus AUREA?*

§. 16. *Polymathiæ (ut Auri) Præstantia.*

§. 17. *Ejusdem Puritas & à Rebus Vanis abstractio:*

§. 18. *Cum Incorruptibilitate, ac Æternâ constantiâ.*

§. 19. *Diciturque Aurea Catena JOVIS;*

§. 20. *Atque eadem COELO DEMISSA.*

§. 21. *Et quid demum per Turbam Deorum ei appensam, denotetur?*

§. 22. *Iterata Tituli Excusatio,*

§. 23. *Cum Oppositione Dictorum; In Omnibus aliquid, in Toto nihil; & In Toto nihil, nisi in Omnibus aliquid.*

I. N. I.

§. I.

MEdicum Virum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων pronunciavit *Homerus*, quasi legisset *Syracidem*, qui jussu ipsius DEI *Medicum honorandum* jubet. Quod vel sponte agebant Ethnici, *Æsculapium*, *Serapidem*, *Apollinem* post obitum horum, Divinis in Ægypto, Græcia & Latio Honoribus afficientes. *Podalirium* item & *Machaonem*, Filios Æsculapii. Ex quâ Asclepiadarum Familiâ sicut ortus erat *Hippocrates*, ita ipsum Medicorum sui temporis Coryphæum Athenienses, beneficiorum memores, ex eo, quod Pestem immanem à Græciæ Finibus depulisset, magni pretii Coronâ aureâ donatum, inque Eleusiniis sacris proximo Herculi loco positum, tantum non adorarunt.

§. 2. Quibus adde *Cleombrotum*, quem Ptolomæus, ob valetudinem Antiocho ex voto restitutam, centum Talentis, vel 637500. Aureis donavit: h. e. 75000. Thaleris, ex Computatione πολυμαθεστάτου, suadâque planè singulari præditi, Præceptoris quondam mei in illustri Gymnasio Dantiscano omni Laude mea facilè majoris *Joh. Petr. Titii*, (in Commentatione III, quæ Nummaria inscribitur, & Manuductioni ad Excerpendum est adjecta.) Addeque *Antonium Musam*, cui à Populo Rom. Statua ex Metallo juxta Æsculapii Simulacrum, in Signum gratitudinis posita est, quod Cæsarem Augustum, ut Plinius loquitur, contrariâ Medicinâ gravi periculo exemisset. Et propter hanc ipsam

rem

rem Universo Medicorum Ordini cùm Aurei Annuli jus, tum & Immunitatem Munerum concessam jam antiquitus fuisse, ex Dione, celeberr. Conringius nos admonet. Fueruntque tam *Musæ* modo dicto, quam fratri ejus *Euphorbo*, apud Principes, plusquam sex Aureorum millia in annuum Salarium constituta. Ut taceam, quod *Galenum* à quibusdam planè pro Deo cultum fuisse ex Eusebio *Neander* de Natal. Medic. pag. 94. memorat. Et magna ipsum seculorum omnium succedentium admiratio cum Præcessoribus secundavit.

§. 3. Variaque Exempla, illorum etiam Medicorum adjungi possent, qui novissimis Seculis passim, ob singularem Artem, Gloriam Eruditionis, & merita Ægris præstita, ab Imperatoribus, Regibus, Pontificibus, Principibus & aliis, partim ad Officia splendidissima, partim & imprimis ad medendum, magnis sumptibus vocati, & finito feliciter Opere, non minori emolumento, pecuniâ, aureis Torquibus, & similibus, rursus dimissi, aut alias ad intimiorem quotidianam & & honorificam cum Magnatibus conversationem admissi, nec non Titulis, Privilegiis Immunitatibus, Prædiis clementer donati sunt; quale quid nominatim in Italia constat de *Petro Aponensi*, *Jacobo Carpensi*, *Victore Trincavello*, *Hieron. Capivacceo*, *Honorato Augenio*, *Joh. Thom. Minadoo*; in Italia & Siciliâ, *Joh. Philippo Ingrassia*; in Italia & Gallia, *Vido Vidio*; in Italia & Germania, *Hieron. Mercuriali*, Doctore *Henisio* per Balsamum Antipestilentiale eximiũ & tricennales Experientias, tantam nominis gloriã adepto, ut decreto Principis & Senatorũ in Serenisf. Republica Veneta Eques divi Marci crearetur, ipsiq;

 de-

defuncto Veronæ etiam erigeretur ſtatua: inque Italia & Belgio, *Thoma Fieno*; in Hiſpania & Belgio, *Joh. Goropio Becano*; in Hiſpania *Franciſco Valleſio*; in Gallia *Ludovico Dureto*, cujus Filiæ Nuptias Rex adeò honoravit, ut non modo ipſam ad ſacrum Deſponſationis locum duceret; ſed donatione etiam omnis aureæ & argenteæ ſuppellectilis, cujus uſus erat in Nuptiis, ditaret; tum in Germania, ſplendidisſimo ejusdem ſidere ac Æſculapio dignè vocando DANIELE SENNERTO, utpote quemadmodum Eruditione, Pietate, Prudentia, felicibusque Curationum ſucceſſibus ſcriptisque aureis illuſtri; ita domi forisq; magni æſtimato ab omnibus ac præter Profesſionis ſibi demandatæ, & Archiatrias diverſæ honores, Torquibusque aureis haud ſemel, Nummis maximi Moduli, ac Anathematibus gemmatis donato ab Electoribus & Principibus; quodque de exterâ Natione mirum, ſolo audito ejus Nomine, ſubmiſſu Pilei reverenter eminus habito; & ab oppoſitâ ſeptentrionaliore Europæ plagâ, ex Poloniâ videlicet ultra 100 milliaria, coram ſalutato ab extremè ægrotante quodam vexillifero, Magni Ducis Lithuaniæ, felicibus aſtris ad Sacram hanc Anchoram devoluto.

§. 4. Ut proinde iſthæc omnia, hucusque recenſita abundè nobis inſervire posſint in ſpecioſum Exemplum Regulæ digniſſimè ibi ſuccedere pretia Honorum, ubi præcesſerint merita Virtutum; non obſtante, quod in Aulis Regum ac Principum, aut alteribi, tanquam in Grammatica hujus Seculi, aut Scholâ Junonis, nonnunquam etiam (imo ſæpè affatim) & Dignus & Indignus, adſciscant Ablativum. Cujus rei cauſæ quærendæ

rendæ nobis videntur, nunc in Perſonâ Medicorum, per Adulatorias Artes & Aſſentandi Magiſteria, præcipuam quandam præ aliis, rectiore Animi cultu inſtructis, gloriam ſibi comparantium; & hinc facilè obſequens Promotorum Obſequium, delicatum iſtud Aſtutiæ genus, in Patrocinii & amplæ Opinionis partes, tanquam hamo piſcatorio attractorum; nunc in Perſonâ ipſorummet Ægrotantium; quorum ſimplicitatem hic comiter excuſamus, quod Errorem iſtiusmodi non ſint tam crebrò erraturi, niſi per ipſum Naturæ inſtinctum, unusquisque inexpugnabili quodam Valetudinis deſiderio teneretur.

§. 5. Verum his tantiſper inſuper habitis, quid præſtaret quæſo, ſi totus quis vel Auro & Ebore, ut Salomonis Palatium, incruſtaretur, vel eidem ex ſtupendis Theſauris ultimi Mexicanorum Regis Montezumæ, integræ Giganteæ Statuæ, Sylvæ & Horti ex Auro, Argentove, in memoriam ac honorem Rerum, cum Medicâ laude geſtarum, ponerentur; cum certisſimum ſit, quantum Anima præſtat Corpore, tam nullatenus iſtiusmodi ſplendores externos cum omni colluvie fulgentis Luti, comparandos eſſe, cum multo pretioſius æſtimandis Ornamentis Animi, eorumque parte præcipua, *Polymathia*: ſine quâ vero Medico imposſibile eſt, Curationis partem vel minimam, ſalvâ Conſcientiâ ſuſcipere, aut feliciter eandem h. e. cum debitâ internâ, & propriè Philoſophicâ Delectatione Animi ad finem optatum perducere.

§. 6. Hæc *Polymathia*, eſt optima Manductrix, quæ nos in Calle hujus Mundi, propius indies ad DEUM

UM

UM ducens, veram & infallibilem felicitatem magis magisq; nobis conciliat, eademque ab *Hippocrate*, Ethnico quamvis, jam ſuo ævo, tantoperè commendata, ut non ſolùm breviter tribus verbis, rem hanc momenti maximi & omnium prolixisſimam congruè, ſi quicquam expresſerit, in libro de decenti Habitu, Medicum Philoſophum ἰσόθεον, vel DEO ſimilem, contraque (in Lege) *Imperitiam malum Theſaurum* nominans; ſed alteribi (lib. 1. d. Victus ratione) aliquanto fuſiùs hanc rem pertractans exemplis videlicet de Arte Ferrariâ, Fabrili, Architectonicâ, Muſicâ, Textoriâ, Chrysurgiâ, Moliturâ, Statuariâ, Figlinâ; & juxta conditionem quidem rudioris illius Seculi, de Fulloniâ & pauculis aliis.

§. 7. Cujus veſtigia Romæ poſtmodum presſit, Polymathiam Literato quovis dignam non ſatis efferre valens, & propterea, quod maturè ad eam ductus fuerit, infinitas Parentibus ſuis gratias agens *Vitruvius*, Magnus Naturæ Imitator, Monſtrorumque in Architectonicis Oſor & Exagitator non injuria dictus *Bernhardo Baldo* (de verb. Vitruv: ſignific. ſub voce Denticuli) locus planè memorabilis in ipſo Autore *Vitruvio* (*præfat. lib. 6.*) videatur.

§. 8. Nec diverſum ab eo eſt, quod ſuo modo vel de Artibus, Medicina ſaltem ignobilioribus animadvertens, pronunciavit, Titulo de Juris docendi ratione, *etiam vilisſimas*, omnes tamen appellans Infinitas Cæſar *Juſtinianus*.

§. 9. Ex Viris vero illuſtribus noſtri temporis non mihi tacendus hic venit magnorum Filii ac Nepotis Pa-

ter

ter & Avus celeberr. *Casparus Bartholinus*, ipsum statim *Controvers. Anatom.* initium à Quæstione hâc faciens *An Medicus aliquis, qui non Philosophus;* ejusque resolutionem per laudes Physicæ, Pyrotechnicæ, & eodem spectantis Magiæ licitæ, Arithmeticæ, Geometriæ (præsertim Harmonicæ) Opticæ, Stathmicæ, Astronomiæ, Astrologiæ Judiciariæ deducens.

§. 10. Imo presſiùs, quot & quanta non de Medici solùm, quoad diversas Doctrinæ suæ partes, sparsim ac tumultuario quasi spectati, sed vel seorsim tantum Anatomici Persona requirantur, ex *Filii*, omni laude Anatomicâ majoris, *Thom. Bartholini*, Textu egregio edocemur, transcribi digno ex præfat: illius in Anatomen Renovatam, his verbis: *Jungunt, qui in hoc stadio magna animi contentione decurrunt, in auxilium Artes illas, sine quibus manca est Anatome. Videas enim Prosectores nostræ ætatis majori, quàm olim, studio, Mathesin excolere, Mechanica discere, Picturâ excellere, faustoque utilissimarum artium conjugio, veterum simplicitatem post se relinquere. Geometriæ beneficio artificiosus musculorum contextus emergit; Optica Visum illustrat. Mechanica hominem totum format, sed plerumque in mente. Pictura adumbrat singula & æternis tabulis posteritati sistit. Ex Mechanicis id præterea commodi sentiunt, quod folles idoneos ad Respirationem, Syringas fistulasq; ad vasa investiganda, lagenulas pro excipiendis succis, & Microscopia ad minutissima quæq; in corpore perspicienda, conficiant, quorum ope nihil non assequuntur. Et ne sanguis operationis cursum in secando impediat, repagula fingunt, sive ligaturis filisque sive secreto modo certos limites definituri.*

tari. Chymiam Anatome sociantes, actionum naturalium rationes reddunt manifestas. Experimentis denique omnia tam veterum quam recentiorum inventa & placita velut ad lapidem lydium examinantes, dominio veræ solidæq; rationis naturam subjiciunt, sibi propitiam, omnibus salutarem. Hac via ad Anatomes culmen procedunt, qui de majoribus triumphant. Quorum Compendium quoddam si appetis, en tibi locum succinctiorem *Nicolai Stenonis* (*Epistol. Dedicat: Specim. Myolog. p. 5.*) haud minùs cultè sic scribentis: *Organum est Corpus nostrum, ex mille organis compositum, cujus veram Cognitionem qui absq; Matheseos ope investigandam credit, sine Extensione Materiam, sine Figurâ Corpus credat oportet.*

§. 11. Quibus imprimis addi possunt, quæ *Dn. Præses Disputationis hujus*, Hospes & Præceptor meus, ob fidelissimam per IV. Annos privatissimam Informationem omni Honoris & Observantiæ Cultu ad ultimum Vitæ halitum colendus, ante XV. circiter Annos, in Libello ingeniosiss. & maximè utili à se Germanicè edito, & *Navigatio in Neocosmum* inscripto, habet, enumerans ibidem plus quam 100. Scientias, quæ juxta conditionem præsertim præsentis Seculi Experimentalis, Medico ad consequendum Viri solidè Eruditi, Titulum, nisi æquè necessariæ omnes, certissimè tamen honorificæ ac admodum utiles sunt.

§. 12. Isthæc *Polymathia* itaque, ut hanc Medicinæ nostræ præcipuè applicemus, & rationem demus *Tituli*, his Thesibus præfixi, est *Aurea illa Catena Jovis*, quam hic cœlo suspendit, eâdemque appendi, Deos omnes ac Deas jussit, ad faciendum periculum, an ipsum pos-

possent in Terram detrahere; sed frustra laborarunt ut est apud *Homerum* (Iliad. Θ. Vers. 18. seq.) Et perinde hic nobis est, sive per illam significetur Ætheriorum & superiorum Corporum, divinitùs copulatorum, in Mundum Inferiorem vis ac Efficacia, sive indistinctim Rerum Natur. quarumcunque series, Principia, & Vires; quod utrumque pronunciavit *Natalis Comes* (Mytholog. libr. 2. cap. 4. p. 135. & 138) ob diligentiam quidem & variam Lectionem laudandus Autor; in eo vero Lectori haud æque, ut nobis videtur, satisfaciens, quod Fabularum plerasque in sensum sæpè triplicem, sextuplicem, aut ampliùs (rethoricè magis, quàm verè mythologicè) contorqueat; cum persuasissimum nobis sit, Homerum, Hesiodum, &c. per hanc aliquam Fabulam Hoc Aliquid, (Historicum, Medicum, Physicum, aut Morale) & non Aliud, intellexisse; ac proinde de vero Mythologo, ut tali, ex nostra Sententiâ requiratur, non evagari ad Interpretamenta cujusvis generis, sed requiri, ex collatu veteris Historiæ, & adminiculis Philologicis aut aliis, præcisè ut quis ostendat, Hoc aliquid per Fabulam hanc denotari, & præcludat dein viam Stochasmis qualibuscunque aliis.

§. 13. Interim, si dicto *Natali Comiti* aut Mythologis quibuscunque aliis licuit Poëmatis Homerici partem, explicare pro beneplacito suo, eandem libertatem Nos quoque Nobis sumimus, & exprimendo præsentis Scripti Scopo Convenientissimum putamus, si dicatur, per CATENAM istam Auream Jovis, Cœlo demissam, intelligi posse commune, quod tantopere celebrabimus, Artium & Scientiarum Vinculum, utpote

ſine quorum perceptu ac deguſtatione aliquâ impoſſibile eſt, evadere vel in Medicum, vel JCtum, vel Theologum, vel Philoſophum, aut Literatum quemvis alium verè doctum: nam nulla ſeorſim ita doceri poteſt aut diſci, quin una per alteram ſit explicanda.

§. 14. Hanc mutuam utrarumque conſpirationem, inter alia, in eo fundari cenſemus, quod plerumque tam ſpeculationis, quàm operationis noſtræ objecta, ejus Conditionis ſint, ut Proprietates eorum vel Attributa, per diverſi generis Diſciplinas, utut Modo conſiderandi diſtinctas, exſpacientur latiſſimè.

§. 15. Iſtamque Catenam Homerus fuiſſe perhibet AUREAM. Auro verò Metallum usque adeò *præſtantius* non habetur, aut *purius*, aut *incorruptibile* magis, ut inter difficillima Chimicæ Artis ponatur, illius Texturam ita reſolvere, quo irreducibile evadat.

§. 16. Jam, quo *præſtantior* eſt Anima Corpore, hoc magis ad Gloriam Medici faciet, honeſtè percepta Plura potius, quàm Pauca ſcire, Pluraque piè ac utiliter, quàm Pauca operari.

§. 17. Nec non *purior* præ cæteris ac defæcatior Animus, per Multiſcientiam redditur, quia præterquam quod ab Ignorantia & Errore magis magisque repurgari ſe ſentit; hanc quoque nitoris, & genuini Splendoris gratiam, per dulcedinem innocentisſimæ Speculationis conſequitur, ut ab Applauſu Vulgi captando, â Divitiis anxiè corradendis, & ab auſcultando externis quibuscunque Blandimentis Fortunæ aliis, & Vanitatum illecebris, ſenſim ſe abſtrahat, inque Propriâ Sphærâ affatim habens, quod agat aut faciat, (nunquam verò perſici.

ficiat) Strepitus Rerum externos nullatenus putet ad ſe pertinere.

§. 18. Meritoque cenſendæ hæc Animi Opes *Incorruptibiles:* quia nulla Temporum Rubigo tam edax, nullæ Furum ungulæ adeo ſunt acutæ, ut Encyclopædiam Menti ſemel altè impresſam, posſint exſcalpere. Imo ne ipſa quidem Mors cum omnibus Promachis ſuis, vel tota Morborum ac Symptomatum Familiâ. Ab his ſiquidem amplius nil infertur, quàm ut interpoſitâ fragilitate corporea, tanquam Nube, cito tranſituram ſaltem Ecclipſin efficiant, aut Velum quoddam obtendant; minimè verò meliorem Scientiæ, tanquam Clenodii, partem diſcerpere, aut fundo ſuo planè regio eradicare posſint, ſuffragante *Vitruvio*, qui in eodem, quem paulo ante citavimus loco, ſic ſcribit: *Omnia Munera Fortunæ cum dantur, ab ea facillimè adimuntur: Diſciplinæ verò, conjunctæ cum Animis nullo tempore deficiunt, ſed permanent ſtabiliter, ad ſummum Exitum Vitæ.*

§. 19. Utque Mythologiam *Aureæ* noſtræ *Catenæ* ulterius proſequamur, porrò dicitur, fuisſe JOVIS. Cui Deum verum, Datorem omnis Boni, rectè ſubſtitui, probatione non indiget, poſtquam liquidum putamus, quod ille, qui Corporea Artium & Scientiarum Objecta condidit; qui Fines iisdem certos conſtituit, aut non indulſit modo hos hominibus, ſed vel aliquibus illorum, expreſsè benedixit, quique Hominem Doctrinæ capacem reddens, Sciendi Deſideria eidem inſtillavit, nec non Media multiplicis generis, ad Cognoſcendum & Operandum, benignè largitus eſt; (imò ad Medicinam ſeorſim quod attinet) magiſtras ac efficaces

Manus, in multis Casibus, Ipse adhibuit: Idem etiam Autor & Conservator honestarum Scientiarum ac Artium, si meritò habendus.

§. 20. Tum nec istud difficultatem habet, dum scribitur *Auream Catenam Jovis* ab ipso fuisse COELO DEMISSAM. Ex ipsis enim Sacris (Jacob. I. v. *17.*) perdiscimus, omne donum perfectum descendere à Patre Luminum. Cur autem Deo T. O. M. per infinitam omni-præsentiæ suæ conditionem, Summa, Media, Ima Mundi hujus visibilis, quàm potentissimè replenti, in Locis Scripturæ haud paucis, sedes in cœlo potiùs quàm alteribi specialiter tribuatur; ejus rei rationes utique una plures, *Joh. Baptistæ Casalio* oppositas novi à supra-laudato Domin: Præside Disputationis, in MStis quibusdam Polymathico-Biblicis; sed easdem attrahere huc non audeo, tum ne falcem immittere videar in alienam Messem (quantumvis certè Biblia non Theologis modo; sed Medicis etiam, & quibuslibet aliis, scripta sint) tum imprimis, quod ad ambages transire abstineo & ultimam ac difficiliorem Fabulæ susceptæ partem, accommodare denique proposito nostro laboro.

§. 21. Quæ difficultas in hoc consistit, ut perspicuum denique reddamus, quid significet, quod DII omnes ac DEÆ, *Catenæ Jovis Aureæ suffixi ipsum tamen detrahere* NON POTUERINT. per hoc verò putamus id innui; concessisse DEUM Hominibus, ut Multa cum tempore ac Magna sciant; sed non omnia. Ita enim periculum foret, ne Scientiæ Confidentia inflati, Largitorem illius contemptui habeant, & Babylonicum quid, toto Orbe grandius moliantur; Itaque effræni aliàs futuræ

turæ Persuasioni, Capistrum & Obex maturè objicitur, ut quicquid agamus, atque si vel attributam Deabus omnibus ac Diis scientiam rerum haberemus, ne quicquam tamen effecturi simus, si vel centum Salomonum Prudentiam, cum Æterna illâ, Divina ac infinita rerum omnium notitiâ, tanquam Atomum Guttulæ cum Oceano, qui toti Orbi circumfunditur, conferas. Absit tamen â nobis, ut DEO tanquam Summo Bono, ex Genes. cap. 3. v. 5. cum Diabolo Invidiam abominandam erga nos tribuamus: Omniscientia enim denegata nobis quidem est, minimè verò Multiscientia, si laborem saltem constantem & vires Ingenii seriò intendamus.

§. 22. Et ad ante-susceptam excusationem Poëtici Tituli, ex Homero desumti, nil super, quam ut Lectoris animo satis obvium jam putemus, vix posse convenientiorem inveniri, quo, tanquam Compendio, & Sciendorum Multitudo, & indissolubilis eorundem nexus & decus exinde in Medicum resultans & Largitor illorum beneficus, & difficultates fataliter intercurrentes, quo minus ad summum Perfectionis culmen eniti detur, & obligatio veruntamen Philiatri, ut minimò scilicet enitatur eò, quorsumcunque in hac fragilitate Vitæ potest; & quæ sunt cætera, quæ restant, percipiendæ Disciplinæ multiplicis Capita, Medicinæ fideliter addicto, nisi plenè omnia, compendiario minimum ac summariè in Opulentissimo Naturæ ac Artis Campo emetienda, non ante solùm aut sub ingressum Medicæ suæ Praxeos, sed per totum reliquum, ac Vitæ, quod superest, Curriculum.

§. 23. Ut proin Cavillationem eorum nullatenus

more-

moremur, qui Multiscientiam exosi ex eo, quod parum aut nihil de ejus dulcedine gustaverint, ruditati suæ, opprobrii pallium obtendunt turpiter occinendo: *De omnibus aliquid*, *de Toto nihil*: cum profectò *Non de Toto* solùm, sed vel de præcipuâ saltem Portione ejus aliquâ hoc merito sit tenendum; non posse illam recte teneri, *nisi de Omnibus aliquid* sciamus. Id quod verum esse, sequentia Anthropologiæ hujus nostræ Medico-Polymathicæ Capita, haud obiter indigitabunt.

Caput II.

§. 1. *Homo spirans Naturæ Miraculum.*
§. 2. *Locus Jobi de Conceptu Embryonis, Phoranomice-Hydraulicè explicatus.*
§. 3. *Textoriæ fundamentum dein in prima Partium Formatione.*
§. 4. *Ab Hippocrate etiam declaratum,*
§. 5. *Statuariam & Architectonicam addente.*
§. 6. *Homo ineptè Microcosmus dictus. Eumetria in Homine, Geodæsiæ quoque fundamentum aliquod implicans.*
§. 7. *Tam Absoluta,*
§. 8. (*Ovidii Distichon*; Pronaque cum spectent, *&c. Falsitatis arguitur.*)
§. 9. *Quàm Comparata, ratione Coordinationis,*
§. 10. (*cur Partes quædam Numero Pari factæ? Ratio vulgaris rejicitur*)
§. 11. *& Symmetriæ. Architecti veteres posteaque Durerus & Elsholtius, Anthropometræ.*
§. 12. *Stathmica item Naturæ Artificia in Homine,*
§. 13. *& Phoranomica. Motus propriè loquendo tantùm Unus;*
§. 14. *sed variè Modificatur.*
§. 15. *Volatus an & quatenus Homini competat?*
§. 16. *Defectiones Motus. Statuariæ origo; Incubationes Medicæ.*
§. 17. *Motûs Tonici Figmentum, ex Institutionibus ejectum.*

§. 1.

§. 1.

PRodeat itaque nunc in Conspectum *Homo;* prodeat Rerum Creatarum Princeps & plusquam regium Naturæ Architectricis Cimelium, nulla Ingenii Lineâ penitus emetiendum. Nam sive *Machinam* quandam *Spirantem Hydraulicam* velis cognoscere, sive *Pyrotechnicum* contra, & fervens *Naturæ Ergastulum;* sive *Molem Figuris Eumetricis* innumeris *scatentem;* seu magnificè constructam Domum, Thronum & *Divinæ sapientiæ Acroaterium;* sive *Arithmologium* aut *Abacum* plusquam *Pythagoricum;* sive *Machinam perpetui Motûs* antiquitus facilè perstituram, nisi Adamus à statu Innocentiæ improvidè defecisset; sive *Prospectivam* tantisper qualemcunque in secretiores Naturæ Latebras; sive *Claustrum Naturæ Anemium*, loquacibus Faucium Fistula, & Follibus instructum; *sive Bilancem Osseo-Carneam exacti Æquilibrii;* aut quidvis aliud: ubivis invenies, ut exspectatione plura, sic majora Eloquio. Ex quibus aliqua saltem proferemus in medium; Hominem (ut ordine idem fiat) spectando primùm in *Modum Totius*, hinc in *Modum Partium*. Atque isthic item dupliciter. Ut *Embryonem* videlicet, & ut pridem dein in Lucem editum; aut *Adultum*.

§. 2. Jam ad exprimendum primordiale Corporis nostri, recens Concepti, Rudimentum, quod vibratoriâ quâdam vi & expressiva vel explosivâ Colliquamenti Auræq; seminalis, ex Ovario Muliebri, & spermaticis Viri Carsulis ratione eliditur, *Phoranomico-Hydraulicus* se statim sistit locus *Jobi cap. 10. v. 10. Sicut Lac mulsisti* (ἠμέλξας) *Me*: aut fudisti vel liquefecisti Me, ut alii Paraphrastæ habent; res eodem redit.

§. 3. Indeque Membranula ſtatim obtenditur, in qua, & intra quam, *Filamenta* emergunt, ſubtilitate cum primordialibus Aranearum Telis certantia, eademque in Arterias & Venas evaſura, tanquam *prima Texturæ admirabilis Stamina.* Quibus *Nodus* in medio circiter, forma Puncti ſalientis, Spiralibus motibus reciprocè ſe dilatantis ac contrahentis, (quod in Cor poſtmodum efformatur) apponitur: cum emicantibus non longè Striis aliis albis; cumque præfixa iis albeſcente Moleculâ, quibus prima Corporis Oſsatura cum Cerebro deſignatur, nigricantibus punctis duobus interſtincto, quæ tractu temporis ampliantur in Oculos. Ponè verò jam etiam, aut â Latere, Viſcerum grandiorum reliquorum *Texturæ* initiales, cum Sexûs diſtinctione (quod in adeo tenera ac ſemifluida adhuc maſsâ profectò admirandum) ſenſim emicare incipiunt: & tota Moles magis magisque indies exornatur.

§. 4. Quod negocium, Artificii ſtupendi plenum, ejusque Complementum, vel Ethnicus ipſemet quamvis Hippocrates, in loco tamen plane memorabili (libr. 1. d. Victûs ration.) cujus mentionem in Antecedente Cap. fecimus, extollere ſatis neſcit: *qui nectunt,* inquiens, *aut* TEXUNT, *Fila in orbem ducendo plicant â principio in principium deſinunt.*

§. 5. Vel STATUARIOS quoque, *Corporis imitationem ſectari, ex minimo ad maximum Incrementum perveniendo,* haud impertinenter è veſtigio ſubjicit. Et ne quid fortè ad Polymathiam, de illuſtrisſimo Autore, ejusque in Geneanthropia ritè explicandâ induſtriam præſumendam deſit; idem denique *Architecturæ* funda-

men-

mentum haud leve, ex Nutritionis negocio, quod in Embryone est ardua speculatione dignum, elicit, ad humida siccis, mollibus dura, ut affabre unum fiant, copulata respiciens, & congruè sic scribens: QUI DOMOS CONSTRUUNT, *ex Rebus differentibus, unam convenientem efficientes, sicca quadam humectant, humida verò siccant. Et tota quidem in partes secant, secta verò conjungunt. Nisi enim ita contingeret, nihil unquam privatum constitui posset.* Ad quæ posteriora nota ita quidem hæc verti à Foësio, sed præstitisset Voci *privatum*, substituere Adverbium *genuinè aut propriè.* In Græco enim sic exstat: ὐκ ἂν ἔχοι ἰδίως

§. 6. Utque vulgò notissimum est, *Architectum* esse aliquem non posse, nisi etiam sit Geometra, & Ædificii exstruendi partes prius congrue designet; ita dum constans nostra sententia est, plerarumque Scientiarum Mathematicarum & Artium diversi generis Fundamenta, per ineffabilem Creatoris Sapientiam in *Geneanthropia*, vel Dispositione Humani Corporis haberi non analogice & juxta receptos, minime congruos, (nam violenter sæpe & in vita Natura plerumque contortos) *Microcosmoscepticos* loquendi Modos, sed verè, propriissime, per modum Archetypi; eruenda saltem qualicunque Ingenio, cui Anatome imprimis omnium lucidissimam facem præfert: ita, inquam, à Tempore Partus, ad primum Punctum Conceptionis, si placeat Animo regredi, experiemur, verissimum hic quoque esse, quod vulgo dicitur, Deum ἀεὶ γεωμετρεῖν vel assiduè mensurare. Quæ *Eumetria* post partum dein clariusque, cum tempore, exserit se: & distingui-

tur à Nobis hic, ut Ordinem servemus in *Absolutam* & *Comparatam*.

§. 7. *Absolutam* dicimus juxta quam unaquæque Pars, Dimensionis suæ determinationem accepit Functioni suæ congruam, vixque putatur Figura (utcunq; regularis) in Geometricis haberi, cujus Exempla præstructa non exstent in Nobis, tam quoad Partium Conformationem, quam quoad Motum earundem, & huic opposita, sive erecti stemus, id quod in lineam rectam (omnium primam) perpendicularem fit; ubi Angulum Acutum, vel Pyramidem Inversam constituimus, depictam à *Severino*(*Zoot.Democr.pag.201.*)sive prostrati decumbamus, quod in Lineas rectas Horizontales Parallelas fit; sive sedeamus, quo in Casu non minus in Humeri summo, quam in Commissura Femoris cum Ischio, ejusque cum Tibia connexu, inque articulatione Tibiæ cum Pede imo, Angulum Rectum, Normæ Fabrorum convenientem, efficimus, præmonstrante isthæc nobis Severino (part. 2. Zoot. cap. 20. pag. 206.) sive ambulemus, ubi quot Passus facimus, tot Ypsila inversa reddimur; & ex determinato Passuum numero in Geodæsia, dein Stadia ac Milliaria sunt assumta, sicut Ibis avis Ægyptiaca, incolis ejus Terræ, interprete Hermete, ipsorum Deo credito, ut est apud Kircherum in Oedipo, mensuras cubitarum Suppeditavit.

§. 8. Ad *Lineam* tamen modò dictam *Rectam* omnium simplicissimam, seorsim quod attinet, cave, cum Vulgo Tristichon approbare velis, quod plus quam millies recitari ab Autoribus, ex *Ovidio* liquet: *Pronaq; cum spectent*, &c. Non mirum etenim est, quod fabulam Poëta tractet. Quod Erecti incedimus non tam Naturæ,

sibi

ſibi relictæ) debetur, quam Aſſuefactioni: quæ Canes quoque, Urſos ac Simias facit bipedes. Et totius præſertim Avium turbæ, ſpecierum diſcrimine, ac Numero certantis cum Hominibus, facundus Poëta lepidè oblitus eſt, quas conſtat, fieri in hunc uſque diem & factas à Natura omni ævo fuiſſe erecti colles. Rhombus verò, & piſces quidam alii Oculum in vertice habentes, palmam Dignitatis nobis planè ambiguam facturi ſint, & per Uranoſcopiam naturaliter nos vincent; Hominibus videlicet Horizontis portiunculam ſaltem aliquam, prono obtutu, minimè verò arcuatos longè vaſtiſſimos Cœli Tractus, emetientibus, opusque habentibus ad id quâdam prius capitis reclinatione, quæ Brutis longo collo præditis, eſt magis libera. Sed hæc videlicet Præjudiciorum vis eſt atque potentia, ut Fabula ſemel recepta, ſub larva veriſimilitudinis, de Seculo in Seculum ad Poſteros propagetur.

§. 9. *Eumetriam Comparatam in Homine* interim dicimus, quâ *Proportio* Partium inter ſe congrua habetur; *tàm ratione ſitûs*, ita ut dextra ſiniſtris, antica poſticis, ſumma imis, paſſim reſpondeant; *quam ratione Menſuræ*, quâ id efficitur, ut viſa magnitudine unius Partis, de magnitudine alterius (etiam plane diverſæ) poſſit fieri judicium.

§. 10. Ex quibus *Prioris Modi* conſideratio, explodendam aliam iterum Fabulam ſuppeditat, qua vulgo ſtatuitur, ideo Naturam conſtituiſſe Partium aliquarum *ejusdem generis Paria*, ut læſæ uni, altera congoner incolumis, in auxilium ſuperſit, & utriusque actio ſervetur. Quaſi verò Deus Hominem ideo geminatâ iſtâ

e.g. Oculorum, Aurium, Renum, aut aliarum Partium Taxi instruxerit, ut quemadmodum peccare, sic ægrotare dein, & ne totus actutum pereat, pars una juvare congenerem alteram deberet. Ita profectò minùs dextrè Naso, Linguæ, Ventriculo, Cordi (proh quantæ necessitatis partibus!) Partibusque monadicis aliis, prospectum fuisset. Quam censuram sibi sumere in DEUM, ô quantæ hoc foret Arrogantiæ! Et in fine Mortalitatis nostræ videmus, quàm benè alterutræ se defenderint, dum pereunt utræque.

§. 11. *Posterior Modus*, interim, non præcedente tantùm Seculo *Albertum Durerum*, Pictorem Germaniæ notissimum, novissimeque *Elsboltzium* Medicum Electoralem clarissimum, de inculcanda Posteris *Anthropometriâ* eximiâ, cogitare fecit; sed jam olim præstantissimi quivis *Architecti* literatæ Græciæ, & Latii quinque Columnarum genera, ad imitationem Humani Corporis ac Habitûs, solerter invenerunt. Mereturque adscribi locus *Vitruvii* (lib. 3. Archit. cap. 1. §. 4.) quem publicè privatimque Dn. Præses Disputationis, Auditoribus suis sæpius commendavit: *Non potest Ædificium ullum sine symmetria atque proportione rationem habere Compositionis, nisi uti ad Hominis bene figurati Membrorum habuerit exactam rationem.*

§. 12. Quid dicam de *Stathmicis*? in quibus item Natura ingeniosam, supra quam dici potest, Magistram præstitit se; non tantum totam Trunci Molem supra Femora congruè librando, intusque uni, eidemque vasto Hepati, dextram Hypochondrii concamerationem occupanti, Systema Viscerum plurium in Sinistris opponendo;

nendo; & Cor ipſum conſtituendo in centrum corporis Stathmicum: ſed Ramenta Partium & Alimentorum craſſiora quoque, ut hæc impune aliquandiu per Corpus ultro citroque cum ſanguine dinatent, pendula ſervando; & quæ ſunt alia; inſignem Lucem certè præbentia evectæ hodie in altum Doctrinæ de Æquilibriis, Architecturæ Navali, ipſique Nauticæ (in transvehendis per diverſas Aquas Mercibus.) Et jam olim *Archimedes* de his, *Quæ Aquis vehuntur*, quàm accurato ad ſuffragium & ſenſum Naturæ ſcripſit.

§. 13. Aut quid non denique de Phoranomicis dicendum esſet, quæ fas fuerat ac foret celebrare de Homine in principio, progresſu, medio, inclinatione ac fine harum Theſium, poſtquam haud invito, ut arbitror, Naturæ ſuffragio tenendum, quicquid ab ullo Agente Naturali ordinarie fit, aut quicquam operatur, omne id per Motum fieri & in effectnm duci: tum nec opus esſe, ut tot Motuum Principia Numero diſtincta conſtituamus, quot Corpora pasſim moveri deprehendimus; ſed unum eundemque Motum haberi in Rebus â Deo in ipſo Mundi primordio introductum, dum juberet, ut Fieret Lux: nam id idem erat atque ſimul dixisſet: Moveantur Omnia. Quo ipſo nemo nobis hoc imputet, quaſi Motus nobis unum idemque ſint: ſed quod immediatè ſibi coordinentur tanquam Subjectum vel Cauſa, & Attributum ejus maximè proprium, ejusque eſſentiale Conſequens. Unde haut vanâ Perſuaſione Veriſimilitudinis porro dicimus: Quicquid movetur, â Principio Lucido movetur; niſi immediatè & proximè, mediatè tamen, ac eâ ratione, quatenus

Motus

Motus, chaotico Rerum Systemati olim semel impressus, toto Ævo dein, per totam Rerum Naturam longè lateque continuatus, & velut in subjecta innumerabilia identidem divisus, ut Ens aliquod transitivum â nobis concipitur, id videlicet efficiendo, ut unum Corpus cedat alteri: & hoc pacto Motus iste Universalis ac Primogenius pro diversâ Subjectorum dispositione ac habitu, diversimodè saltem modificetur, & ab uno ad alterum propagetur, ut tanquam â Principiis, numerice etiam distinctis, profluere communiter existimetur. Contra quam statuisse videtur *Aristoteles*, qui sententiæ nostræ hâc ex parte favens, hanc ipsam primitivam Motus Universalitatem ac Simplicitatem perspicuè sat olfecit, dum alicubi in Physicis, Posse aliquem Motum esse continuè æternum, scribit: Ut taceam quod forsan non desit ipse Textus unus ac alter Biblicus ex quo simile quin eliciatur.

§. 14. Et hoc pacto diversi generis Motiones in nobis vi Luminum procedunt, partimque Systemata Musculorum, Cordis, Artuum, partim Sanguinem, & Spiritus foris intus vivaciter actuant, longumque diffusæ Scientiæ *Phoranomicæ* vel *Cineticæ* præcipuum Lumen addunt; si selectiores saltem spectemus hic infinitivos aliquos, quibus tanquam extremo Graphidis apice Rem prolixo dignam Scrutinio, hoc est Motus mirè discrepantes, qui tam in toto nostro Corpore, tanquam Machina in mille modos versatili, quam in Ejus Partibus contingunt, brevissimè omnium recensere. Et sunt hi: Surgere, Ire, Transire, Introire, Exire, Appropinquare, Venire, Obambulare, Circumire, Oberrare,

Dis-

Discedere, Reverti, Obviam ire, Converti, Properare, Fugere, Currere, Occurrere, Recurrere, Procedere tardius, Retrogredi, Adſcendere, Deſcendere, Surſum vehi, Natare, Volutari ultrò citroque inſtar naviculæ jactatæ in dubio æquore, ſponte mergi, emergere, Libratoriè agi (quod funambulonum eſt) Deſuper cum impetu, (ſupra Chordam extenſam) Ruere, Saltare, Vibrari, Tremere, Rotatim agi (*in Verſoria*, de quâ peculiarem librum ab *Archangelo Zuccaro* Dialogiſticè conſcriptum vide) claudicare pro arbitrio, Cadere, in Faciem Procumbere; in Genua Procidere, quod προσκυνήσεως Voce effertur in Sacris *Gen. cap 19. v. 1. cap. 23. v. 7. & 12. Matth. 4. v. 9.* Subſidere, Cubitum ſe dare, Inniti, vel Fulciri in Arborem, ſuffragante Loco *Gen. 18. v. 4.* Luctari, Pugnare, Premere, Opprimere, Pellere, ad introeundum hoſpitaliter compellere, exemplo *Loti Geneſ. 19. v. 3.* Vultum Convertere aut Avertere, Impingere, Geſtare, Onus abjicere, Fugare, Venari, Congregare, Coire, Comitari aliquem, Collidi mutuo, exemplo Jacobi & Eſavi *Gen. 25. v. 22.* Dividere, Separare, in Contrarias partes ire, Statuere, Erigere, Struere, Deſtruere, Dejicere, Findere, Terebrare, Frangere, Fodere, Seminare, Metere, Introducere, Producere foràs, Manu ducere, & quæ ſunt ex Principiis *Mechanico-Stathmicis* declaranda.

§. 15. Quibus *Volatum* quoque addidisſemus propemodum, niſi hæc quidem Motûs Modificatio ad Aves, Brutaque Volantia quævis alia, potius, quàm Hominem communiter referretur: Utut hoc tamen minimè dubium etiam ſit, Æquilibrii tenorem certum

 aliquem

aliquem Homini quoque Competere, cujus Ope adhibitis Organis Artificialibus Volare cum Icaro aut Dædalo vel cum Architæ Tarentini Columba lignea, aut Ioh. Regiomontani Muscâ per Aërem ferri posſit.

§. 16 Interim arbitrariæ, quoque *Motûs Defectiones* veniunt notandæ. Quiescere nimirum, Morari, ſtare aut Conſiſtere (unde *Statuariæ* Inventio) Sedere, Jacere Solitariè, vel Hominibus aliis aut Rebus certi generis accumbere: cujus cenſus erant apud Ethnicos *Incubationes* in Fanis Deorum, Medicinæ ergo ſuſceptæ; Pendere, pendulè hærere, Retinere &c. Quæ omnia nudè recenſita, videri poſſint aut momenti esſe exigui, aut parvi Laboris, ſed profectò eadem juxta ſpeciales Fibrarum Muſcularium Actiones & Pasſiones, & lineas Motuum explicare velle, difficultatem parere posſint maximam.

§. 17. Et hoc unum ſaltem *de Motu Tonico*, monere placet, falsò ipſum ab Inſtitutionistis noſtris, ad Motûs Voluntarii ſpecies referri, deſcribentibus ipſum, quod ſit Motus inter Extenſionem & Contractionem, quaſi Medius, quo membrum in Situ ſuo ad tempus aliquod firmetur & tenſum maneat: cum potiùs ſit Quies Motui Contraria vocandus. Quo ipſo de Homine, in modum Totius ſpectati ſit dictum ſatis.

Caput III.

§. 1. *Summaria Partium Corporis Humani Diſtributio.*
§. 2. *Partes Firmæ vel Solidæ duplicis generis.*
§. 3. Oſſium *Conſideratio Architectonico-Geographica.*
§. 4. *Architecturæ Navalis initia in Spina Dorſi & Coſtis.*

§. 5.

§ 5. *Carinæ Navalis triplex Significatio.*
§. 6. *Kilia, id est Urbs Carinæ vel Nautica: minus rectè Kilonium vocata.*
§. 7. *Tactica Epiphyseon in Spinæ Vertebris effulgens.*
§. 8. *Mechanicus liber Hippocratis de Molitionibus laudatur.*
§. 9. Cartilagines, *Molliorum Partium Fulcra.*
§. 10. *Vel Durioribus Axungiæ vicem circumposita.*
§. 11. Ligamenta *Ossium firmandorum Lora.*
§. 12. *Ligamentorum Frater*, Tendo & *Pulcritudo Ejus.*
§. 13. *Tendines Artificiosi in Mechanicis, Hydraulicis, Metalli fossoria, Bello.*
§. 14. *Catapulta Veterum obscurè à Vitruvio descripta.*
§. 15. *Ballisterium Phlebotomicum, cum Chorda tensa, à Præside inventum.*
§. 16. *Displosiva Tendinum Vis in Corpore Animali.*
§. 17. *Endoxon Mechanicum: Pulex Tauro robustior.*

§. 1.

UTque ad Partes Ejusdem juxta susceptam *Polymathiæ* ex ipsis eliciendæ methodum justo Ordine transeamus, summatim primum illas distinguimus in Solidas aut Stabiles; Firmas & Fluidas duplicis generis, in Labiles nimirum vel Humores & Difflabiles vel Auras.

§. 2. Firmæ, quas Continentes cæteroquin vocavit *Hippocrates*, vel sunt Individuo Propriæ, vel eidem erant ac Matri antea Communes. Ex quibus *Propriæ* vel Indistinctim se habent ad Situm, ita, ut perinde sit, in quocunque etiam Corporis districtu hæreant, uti sunt, Ossa, Cartilagines, Ligamenta, Tendines, Membranæ, Pinguedo, Caro, Vasa, Pili: vel distinctim ad certam aliquam Sedem in Corpore peculiariter restringuntur.

D 2 §. 3.

§. 3. Ab *Ossibus* Anthropologiam Medicam *Fallopius*, *Riolanus* ac alii auspicandam censent, quod in Constituendo idoneo Animæ Domicilio Partibus Mollioribus perseverante adhuc Embryone in matris utero, jam inciperent esse, & porrò per decursum Vitæ sint id, quod vel *Architectonicè* sunt Fulcra aut prima Tigna in exstruenda Domo; *Geographicè* Globo Terr-aqueo Ossamenta ejus, vel Montium Catenæ, ipsum, ne in partes dissiliat tanquam totidem Coluri, Æquator & Polares, quod bene sit, à Kirchero (Vol. I. Mund. Subterr. pag. 108. b.) descriptæ.

§. 4. Quin rectiùs inter Ossa, ad *Spinam Dorsi* & *Costas* ex ea emergentes ut vertamur, siquidem ex utrisq; primam quandam *Architecturæ Navalis* inventionē aut fundamenta elicere, nullum me puto commissurum esse errorem. Postquam enim Prima *Ossium Textura*, Telis Aranearum subtilior, in Embryone recens-concepto aliquousque incrementa cepit; Villis rubentibus (Ductuum Hœmatogogorum primordiis) *Striæ Albicantes* pulcerrimæ in Genitura recens-facta moxmox intermicant: quæ nihil aliud esse, quàm ipsamet, quæ dixi, Spinæ Dorsalis Primordia, observationes serius dein in aliis subjectis susceptæ, docent. Et expressè eadem *Carinæ* titulo non ab *Harveo* solùm insigniuntur; sed vel pridem ante ipsum *Vesalius* ad tale quid respexit, de *Humani Corpor. Fabric.* sub initium statim cap. I. scribens. *Quod Parietes & Trabes in Domibus, & in Tentoriis pali, & in Navibus Carinæ simul cum Costis præstant, id in Hominis Fabrica Ossium præbet substantia.*

§. 5.

§. 5. Quam *Carinam*, tanquam Currinam, à Currendo dictam ex *Gyraldo* notat *Schefferus* (*de Militiâ Navali lib. I. cap. 6.*) & trifariam ſumi, convenienter monet *Voſſius* (*in Etymolog. pag. 109. b.*) propriè nimirum, de Trabe imâ Navis, ceu fundamento totius fabricæ: hinc tralatitiè de ipſo quoque ventre Navis concavo (unde putamina Nucum Carinæ etiam vocantur:) ac planè demum pro tota Navi. Ex quibus primæ notioni imprimis favet *Schefferus loco d: pag.* 47. Carinam habens, pro ligno Singulari, quod per medium Navis (additque commodè: *Velut per Corpus Animalium, Spina*) tranſit. Germanicè Keil (quaſi Cuneus Navi infixus) vel antiquo Saxonicè Kiel.

§. 6. Undè Urbi huic Kilienſi, ob Portum navalem celebri & Signaculi loco proin Carinam mediæ notionis, h. e. Ventrem Navis concavum gerenti, nomen. Quod utpote monoſyllabum, à Majoribus *Kilonium vel Chilonium* ſcriptum eſt, cùm nulla vox ſit, quæ Kilon vel Chilon ſonet, & ſic præſtitiſſet aliquanto brevius *Keilam* vel *Kiliam* appellare, eandemque Holſaticam ad differentiam Kiliæ Novæ, in Beſſarabia, inter ſex Danubiæ Oſtia, in Pontum Euxinum ſe exonerantia, ad primum vel ultimum eorundem ſitæ, atque ut refert *Georg. Fournier* (*lib. XI. Geograph. cap. ultim. pag. 704.*) anno 1485. atque ſic ante duo Secula à Turcis Arce munitam.

§. 7. Porrò *Tactici*, quod ex Spinâ Dorſi, accuratò perſpectâ diſcant, habent, ratione Epiphyſeon, quæ eminere & Vertebrarum Cervicis, Dorſi, ac Lumborum poſticam partem, velut Muricibus vel Aculeis

armare, miro Naturæ ingenio, rectâ per Dorsi Longitudinem conspiciuntur. Quantum enim ab uno spinosæ Dorsalis Extremo Circa Atlantem Cervicis usque ad medium Spinæ increscunt, tantum usque ad Ossis Sacri Principium sensim iterum decrescunt.

§. 8. Inque Casu Morbi, Ossa Luxata, per ipsam Figuræ Duritiei, & Sitûs rationem, ansam cogitandi prætereà exhibent, de ingeniosis quibusdam Adminiculis *Mechanicis* & accurato diversi generis Organa Applicandi Modo. De quibus ingeniosè inventis, ne Medici aut Chirurgi nostri Temporis, nimiùm glorientur; egregium utrique Ductorem jam ab antiquissimis seculis, quem sequantur, habent *Hippocratem*, qui peculiarem de Ossium per Molitionem *impellendorum* ratione Librum (*vol. 6. oper. pag. 114. seq.*) titulo Mochlicii vel Vectiarii inscripsit; de Luxatis in eo tractans, quatenus hi ope Organorum & Machinarum restituantur.

§. 9. Quibus tantisper missis, pergo ad *Cartilagines*, flexilia illa, & candida Inchoamenta Ossium. Quæ sic ut successu temporis ipsæ quoque in Ossa degenerant; sic usu cum iisdem in multis *Architectonico-Mechanicè* conveniunt. Intellige eas, quæ liberiùs utcunque aut separatim exstantes, Mollioribus partibus Fulcrum præbent: cujus generis sunt Cartilagines Palpebrarum, Narium, Aurium, Linguæ, Laryngis, & Sterni in Infantibus.

§. 10. Præter has enim aliæ Capitibus grandiorum Ossium tanquam Crustæ obductæ deprehenduntur & humore viscido quodam irriguæ. Id quod factum â providâ Natura patet, ad Usum *Mechanicum*,

Motum

Motum ſcil. Osſis, aut Membri totius conſervando, impediendoque quò minùs ex diuturnâ Colliſione Solidi ad Solidum, Attritionis periculum complicetur. Id quod Aurigæ priſci ac Nautæ imitaturi, ipſi quoque jam Pridem facilitandæ Vecturæ Curruum Funiumque per Trochleas periodo nunc Sebo utuntur, aut Pinguedine Balænari, nunc Smegmate, quibus modo dictas Trochleas, Rotas, aut Axes inungunt.

§. 11. *Ligamenta*, Cartilagine adhuc molliora, ſed Membranis duriora, & Oſſium Articulationibus firmandis tanquam totidem Lora fortiſſima, quæ eorundem vel Motus modificent, vel Situs in ſuâ regulâ conſervent, deſtinata videntur quàm maximè. Poſtquam enim Natura oſſa non omnia per Modum Suturæ, ſquamæ aut ſimplicis Coalitûs, copulare voluit; ſed quædam eorum antrorſùm, quædam retrorſum, alia ſurſum, deorſum, in orbem aut ad latera moveri, utique ne ſedibus ſuis exciderent, Ligamentis probè communiens, hunc ipſummet Ligamenti uſum ac *Artificium Mechanicum* ſatis prodit.

§. 12. Quodque Oſſibus illa ſunt, id, eſſe *Tendines* Muſculis videntur; imò conſequenter ipſiſmet etiam Oſſibus; ut haud injuriâ Ligamentorum Fratres appellare poſſis à Tendendo dictos, præcipuamque partem vel finem Muſculi, quo is Parti movendæ inſeritur, conſtituentes. Niſi potiùs continuè per totam Muſculi Longitudinem ferantur; ex ſubtiliſſimis plurimis quidem filis Nerveis compoſiti, ex crebrâ verò & arctâ ſuâ compage, ſoliditatem, Lentorem & lævorem membranoſo-nerveum, imò nitorem argenteum adepti ut *Fal-*


lopius citante *Riolano* (*Enchir. Anatom. lib. 2. cap. 11. pag. 88.*) rectè dixerit, Tendine & Humore Cryſtallino, ſe pulcrius nil vidiſſe. Humidique ſunt, à Fluore peculiari, Fibris illorum interpoſito. Hinc obſervatione conſtat, grandiores Columnas & Obeliſcos in Italia feliciùs erectos, ſi Funes Aquâ prius irrigui fuerint redditi, fuiſſe.

§. 13. Ut taceam Ductariorum Funium, tanquam totidem Tendinum arte factorum, Exempla & Uſus *Mechanicos* ſimiles in *Re Militari*, *Hydraulica*, *Metallifosſoria* conſpicuos: Ubi cum vel ſine Trochleâ aut Rota majore intercedente, Molibus ex profundo recta ſurſum, vel per Planum Inclinatum obliquè elevandis alligantur; Tormentis puta æneis, Saxis, Columnis marmoreis, aut earum partibus humanum robur ſuperantibus, Amphoris item, Aquam fodinarum ſubterranearum haurientibus &c. & maximum iſthac compendiaria movendi ratione hominibus uſum præbent. In quorum locum poſtea Catenæ ferreæ pontibus elevandis adinventæ ſunt; quas proinde non abſurdè quis Funes ferreos vocare poſſit, & funes contra contextas ad Cannabe Catenas.

§. 14. Utrumque Tractorii Organi genus tenſum, ſi cito relaxes aut ſcindas, loco Tractionis, vim & impetum Diſploſionis, in certis Caſibus conſequetur. Cujus rei ſcrutinium locuples, *Balliſtica* ſuggeret, qua parte videlicet de Catapulta Veterum agitur; quam Vitruvius aliquantum obſcurius deſcripſit, judicio *Ludovici Moſcardi* (in fin. partis I. Muſei ſui) & clarius proin ab Architecto quodam Veronenſi delineatam offert.

§. 15.

§. 15. Novissimeque adde Exemplum silentio minimè prætereundum *Ballisterii illius Phlebotomici* superioribus annis à supra-laudato Dn. Præside privatim inventi, cujus videlicet beneficio quis citra requisitum Chirurgi auxilium ipse sibi vel alteri facillimo negotio & minori periculo venam secare possit, ut in præsenti Schemate nativæ magnitudini respondente quadantenus videmus.



In quo Litera A. Normam ex argento ferro vel ære factam denotat, in alterutro Extremo aliquousque sinuatam pro trajectu ferramenti subtilis acuti Phlebotomici, moram ibidem invenientis, ne facta sui displosione, altius quam par est per Cutim eat Lit. B. verò Pinnam Chalybeam tensilem denotat, Chorda, Unco Literæ C. firmatam, & discindendam forcipe, ubi tempus sit, ut ferramentum venam tundat. E §. 16.

§. 16. Nec diſploſivis hujusmodi Motibus ſubito relaxatis ad arbitrium, partium Tendinibus aut Nervis adſcribendis, ipſummet Corpus noſtrum deſtitui conſtat, quando conſideramus voluntarias Artuum projectiones, globulorum ex digito prius contracto, indeq; iterum relaxato, momentaneas Eliſiones, orbium luſoriorum in Sphæriſterio, aut Lapidum vel Telorum miſſilium per aërem projectiones, & ipſæmet totius Corporis translationes ſubitaneæ, per Saltem Curſumve concitatiorem.

§ 17 Quibus ritè ut decet, h. e. *Mechanicè* (in hoc negotio) perpenſis, quando Bruta quædam currendi aut ſaltandi agilitate nos ſuperantia ſpectamus. Et quodnam ac quantum Naturæ artificium in iis, præſertim minutioribus, poſitum ſit, nemo prudens & aptus talium æſtimator abſurdi Nos accuſaturus eſt, ſi dicamus, abjectum Animalculum Pulicem eſſe non Homine tantum, ſed vel Tauro aut Elephante robuſtiorem: habita videlicet ratione Proportionis virium, ad Molem movendi Corporis & Magnitudinem ſpacii, per quod illud diſploſivo propriorum Tendinum impetu feratur. Nam profectò quò magis parva textura Pulicis eſt, hoc magis admirandum, Tendines Pedum ejus in tam exili, & Oculorum aciem propemodum fugiente eorundem Molecula tam affabre eſſe â Natura Architectrice diſpoſitos, ſpirituqne impulſore, aut fibratore animatos, ut Pulex â loco Chartæ uno ad alterum proſiliens, ſi Lineam arcuatam, quam in iſto motu deſcripſit emetiaris, ſis experturus, ipſum iter per aërem trigeſies, quinquagies, aut pluries confeciſſe proprio Corpo-

Corpo-

Corpore longiùs; Taurus contra, qui aliquot millies robuſtior cenſetur, maximo ſaltu veruntamen vix ultra ſpatium longitudini par feratur.

CAPUT IV.

§. 1. *Membranarum Geneſis Pyrotechnica.*
§. 2. Cuticula, *Corporis Induſium & Gubernaculum Calorum.*
§. 3. Cutis, *Naſſam Piſcatoriam exhibens,*
§. 4. *eademque tota undique Squamis exaſperata,*
§. 5. *Cutis Sirenis itidem Squamoſa, in Muſeo Præſidis.*
§. 6. *& omnium rariſſima quædam Armadilli Species Diabolus Tayoanenſis dicta.*
§. 7. Pororum *Diſpoſitiones Eumetricæ,*
§. 8. *cum Subcutaneis Vaſis, Glandulis miliaribus,*
§. 9. *& cucurbitiformibus Valvulis, moderantibus Perſpirationem,*
§. 10. Panniculus Carnoſus, *Velutum quoddam naturale.*
§. 11. *Ejusdemq; &* Adipoſæ Membranæ *uſus, partim Pneumaticus.*
§. 12. *Partim Menachicus*
§. 13. *ac partim Cosmeticus, in ſuffarctu Partium conſiſtens.*

§. 1.

IN *Membranarum* genere, quarum aliæ Integumenti tam Univerſalis, quàm particularis, aut Tunicæ aliæ Receptaculi vicem ſubeunt, utræque verò *Pyrotechnicè* à Natura factæ ſunt, per modum ſuperficialis Colliquamenti viſcidi Exſiccationis; præter Paniculum adipoſo-carnoſum, Membranasque Muſculorum & Viſcerales, imprimis Conſiderationem meretur Cuticula & Cutis.

§. 2. *Cuticula*, (in Serpentum genere, Exuviæ) non ineptè Corporis Induſium vocari poteſt, atque haud obſcurum *Veſtiaria* Fundamentum nobis exhibet.

Et *Pyrotechnicus* ejusdem Usus maximè etiam patet; Modificando Calorem Conservandum Sanguinis & Spirituum, ne hi confertim aut intempestivè effluant. Unde partim *Chimia* postmodùm Ignem suppressionis didicit, inque Fornacum aperturis, per obturacula, iis nunc intrusa, nunc iterum retracta, Calorum gradus moderari: partim in *Pharmaceuticis* convenienter accidit, ut Vitra & Pyxides, operculo supernè firmentur, ne melior Medicaminum pars exhalet.

§. 3. *Textoriæ* verò, in Naturâ humanâ fundatæ indicium si desideres: *Cutim* mecum considera Nassæ Piscatoriæ similem, & Nos tanquam Sacco involventem, ope duplicis, Staminum Exterioris videl. Nervei, juxta *Lindenium* Interioris Carnei, vel Fibris carneis contexti: imò rectiùs *Stenoni*, in Anatomicis (si quisquam hoc tempore) Lynceo, maximam sui partem ex Fibris Arteriarum, Venarum, Nervorum & Tendinum contexta decernitur, suffragante illustri *Bartholino*, (*Anatom. Renovat. pag.* 18.)

§. 4. Quibus novissimè in Belgio *Antonius van Leeuwenhoek*, oculatiòr Microscopiorum ope, Cutis ambitum observavit non glabrum aut lævem, ut recepta hucusque tulit Opinio; sed *Squamis* undique, alternatim sibi superimpositis, tanquam Perca vel Cyprinus, exasperatum.

§. 5. Quæ usque adeò, (etiam citra Microscopium additum) evidentior in *Sirene* apparet, portionem Cutis ejus cum Costa in Scriniis suis habente *Dn. Præside*, ut hic admiretur quodammodo omnimodum de eâ Celeberrimi D. Th. *Bartholini*, silentium, Anatomen

men Sirenis exhibentem, Cent. 2. hist. Anatom. II. occasione Costarum & Manûs, in suomet Museo etiam servatæ.

§. 6. Et adhuc evidentius tale quid conspicimus inter quadrupedia, in omnium rarissimâ quâdam *Armadilli* specie, quem in eodem *Dn. Præsidis* Museo, multis iisque elegantissimis Corporibus Naturalibus & Artificialibus referto vidi, magnitudinē Canis minoris, Squamis angularibus striatis maximis κτ' τάξιν dispositis, undique, excepto Ventre, Thorace & Iugulo munitum, nec descriptum ab ullo, quod sciamus, autore, nisi illiterato, plebejæ sortis homine, *Joh. Straussio* (*Itinerar. primi cap. X. pag. 31. b. edit. German.*) qui id generis animal in Insula Formosa tantum reperiri, & *Tayoanensem Diabolum* à Belgis vocari addit, ob minorem videl. è regione Formosæ Insulam Tayoan vel Tayoang vocatam, anno 1632. à Belgis munimento firmatam.

§. 7. Ne verò à *Cute Humanâ* longius recedamus sivè hæc Squamosa, sive minus squamosa sit, *Pororum* certe *Taxis* in ea, est admiranda, utpote non temerè aut tumultuario, sed magnâ, ut apparet, curâ, hic παραλλήλως, alteribi striatim, aut reticulatim, dispositorum: & prout in dextris, sic in sinistris sese habent; id quod *Eumetrico-Tacticum est*, & Harmonicam utrobivis coordinationem satis prodit.

§. 8. Huicque adeò concinnæ illorum Taxi, adde Figuræ, diversitatem prætereà, Animo magis, quàm Oculo (nisi armato) concipiendam, cum succubis, ex mente *Stenonis*, apud *Thom. Bartholinum* (*Anatom Renov. pag. 21.*) Glandularum minutissimarum, Vasis subcuta-

cutaneis Capillaribus intertextarum, Myriadibus, tanquam Ergastulis Sudatoriis totidem, transmittendæ Lymphæ præcipuè destinatis. Sicut enim, monente illustri Boyleo (*in Experim. XXXVI. de Vi Aëris Elast. ejusdemq; Effectibus*) *Per Poros Vesicæ agninæ non Aërea Corpuscula (nisi quædam fortè suprà modum tenuia) sed Aqua transit.* Sic alteribi pro figura variarum rerum convenientes iisdem, vel similes Pori adaptantur. Sphærici Sphærica Corpora, Triangulares Triangularia, Cubici Cubica, aliique alia, sibi congruentia, lubentiùs admittunt.

§. 9. Quin porro iidem *Pori* Artificium Naturæ *Hydraulico-Pneumaticum* etiam ostendunt, per elegantissima Sudoris Ostiola in ambitu jam dictarum Glandillularum constituta, singulaque singulis *Valvulis Gucurbitiformibus*, si *Malpigio*, Lynceo credimus, vel Pelliculis incurvis versus interiora protensis, instructa ad Humorem, nimis aliàs effluxurum, morandum, & refrenandum præsertim Halituum Transpirationem nimiam. Quæ Sudoris spiricula jam ipse *Hyppocrates* quodammodo visus est deprehendere in Epidemiis sic scribens: *Sudor per Poros guttatim effluit, velut per Aquæductus.*

§. 10. Sub Cute toties dicta est *Panniculus Carnosus*: quem quilibet accuratè considerans inveniet, non commodiùs explicari, quàm per Velutum Sericeum (Sammet) in *Textoriâ* & *Re Vestiariâ* posse, quatenus scilicet is, ex Filamentis carneo-nerveis, cancellatim contextis, componitur, & mollius quid, h. e. congelamen Unctuosum, quod *Pinguedinem* dicimus, iis intertexitur, & quasi cum illis coit. Quod in recens-na-

tis

tis magis in conſpectum venit, quoniam in his Panniculus carnoſus Pinguedine iſtâ ſecundariâ nondum eſt perfuſa. Vasaque demum ſubcutanea, Texturam hanc perreptantia, & fulcrum ſuum inde nacta, Ornamenta florida exprimunt, quæ Veluto Sericeo intertexuntur.

§. 11. De Uſu porrò *Membranæ Adiposo-Carnosæ* jam dicto Panniculo arctè paſſim nexæ, polymathicè explicando, ſi quæras, age *Pneumaticum* quid primo eadem affatim Tibi exhibebit conſiſtens in eo, ut perblandum illius incubitum Fermenta Partium Topica attemperentur quodammodo, aut ſupprimantur, facilè aliàs exſpiratura. Quod imitari dein Pharmacepœos videmus, Oleum Amygdalarum vel Olivarum Succis liquidis expresſis Acidis ſuperfundentes in Vitris anguſti Orificii, ne dicti Liquores, ad ſui effervescentiam, & hinc metuendam melioris ſui partis deperditionem proni, muceſcant, ſitumque contrahant. Quantumvis ne ſic quidem etiam ultra Annum facile durent.

§. 12. Hinc *Mechanicus* etiam uſus facilè pateſcit. Dum enim Partes, Motui deſtinatæ, Pinguedine oblinuntur, ne à Calores ſicciores redditæ, ultra tolerantiam, diſtendantur aut rumpantur; prorſus eâdem ratione conſervando nihilominùs Motui partis inſerviunt, atque Cartilagines quasdam, Articulationi majorum Osſium ſuperficietenus implexas ſcimus: & easdem inſuper Humore quodam Unguido irrigari, qui idem Osſibus præſtat, quod Axungia præſtat Rotæ. Atque ſic Pinguedinem Muſculis Oculorum, in orbitâ eorundem, Natura interpoſuit, ne illi ob Motum quem habent
ferè

ferè continuum, ullâ sui exsiccatione plectantur: quàm Cordi, utpote cujus Venæ Coronariæ, ob eandem Caussam, Pingue quid pariter circumfusum est. Vel alteribi etiam Pinguedo, Partibus externo Attritui magis obnoxiis, loco Pulvinaris, & Propugnaculi est, & ictus Contusiones, Compressiones quadantenus eludit; prout Dorsum, Lumbos, & Clunes, quo pinguiores, hoc magis impunè sustinere Plagas sibi inflictas, Ponderis incubitum, vel diuturnum solidi accubitum, videmus

§. 13. Ac tandem *Cosmeticæ* quoque studiosam Naturam se nobis sistere, negocio erui haut magno potest. Quatenus enim Spacia vacua intermuscularia Pinguedine infarcit, æquabilitatem Pulcritudinem & Venustatem Membro, vel toti Corpori conciliat; Macris contra, Phthisicis, Moribundis & Vetulis, ob Laticis suppletorii defectum, Deformibus relictis.

Caput V.

§. 1. Carnium *in suas Classes distributio.*
§. 2. *Stenonis Consideratio* Musculorum *Geometrica.*
§. 3. Parenchymatum *ortus Hydraulicus; sed malè quibusdam Partibus applicatus.*
§. 4. Glandularum (*præcipuè Globosarum*) *Consideratio partim Architectonica.*
§. 5. *Partim Hydraulica, tam ratione geneseos,*
§. 6. *Quàm ratione Usûs. Glandulæ, tanquam Renes parvi.*
§. 7. *Animadversio in* Carnem Viscerum, *Veteribus sic dictam.*
§. 8. *Cui* Fungosa vel Spongiosa *rectiùs substituitur.*
§. 9. Vasorum *Ductus eorumque* Ramificationes *miræ, ac Systemata, Tabulis agglutinata.*

§. 10.

§. 10. Valvulæ *eorundem:*
§. 11. & Anastomoses *inosculativæ, arcuatæ, laterales, canaliculatæ, vaginatæ.*
§. 12. Pilorum, *tanquam totidem Cornuum, usus Cosmetico-Vestiarius.*

§. 1.

Quibus tantisper missis, strictim ad *Carnes, Vasa* & *Pilos* progredimur. Quas constat, in Musculares, Parenchymaticas, Glandulares & Viscerales, ab Anatomicis dividi. Quarum posterioribus rectius Fungosam vel Spongiosam substituimus.

§. 2. Et de *Musculosis* primùm hoc notamus: Usum earum & Fabricam, ut brevis sim, prorsus esse *Mechanico-Geometrico-Textoriam*, tanti Artificii, ut omnem quasi Imitationem Humanam superet; suffragante perspicacissimo Seculi nostri Anatomico, *Nicol. Stenone*: qui primus quasi ac solus *Myologiam* Methodo Mathematicâ proponere, & Musculorum Systema Geometricum repræsentare ausus in Epistolâ Dedic. ejusdem, (pag. 5.) scribens: *Volui eo Specimine ostendere, non posse in Musculo distinctè partes ejus nominari, nec Motum ejus considerari feliciter, nisi Matheseos pars Myologia fieret:* quantumvis, qui Candor Viri est, nedum ipse sibi satisfaciat, ut expresse dehinc *(pag. 12.)* fatetur.

§. 3. *Parenchymata* ipso nomine Ortum sui produnt *Hydraulicum.* Ac debemus hoc nomen præcipuè *Galeno* cum Asseclis, Hepar, Lienem, Pulmones, Renes, quondam ratis, has partes ortas per modum Affusionis Sanguineæ ad Interstitia Staminum radicalium, Cruore turgentium, qui exrra Vasa translatus, Coagulum fiat,

& in Congelamen rubeum concrescat. Quæ sententia tamen multis & gravibus Dubiis hodie obnoxia est.

§. 4. *Glandularum* contra Textura duriuscula & candens; quas hodiè Prosectores in *Conglobatas*, (rectiùs Globosas ab unâ parte gibbosas, ab alterâ concavas; & *Conglomeratas* aut Concatenatas dirimunt, & prioribus præsertim Usum *Architectonicum* assignant, consistentem in eò, quod illæ sint loco Pulvinaris aut Fulcri, divaricationibus Vasorum majorum firmandis suppositi; exemplo subaxillarium, Thymi & Vagarum, cum suâ Centrali in Mesenterio, Ramos Venæ Portæ & Arteriæ Magnæ ultrò citroque dispersos sustentantium.

§. 5. Nisi verò etiam dicendum sit, Glandulas, in primâ Partium fundatione, exstitisse Hæmatogogis Ductibus priores, & sic Obstaculo illis sensim exstitisse, quo minùs simplici ductu inciderent, sed divisim increscerent, sicut Aquam ex Fontibus deductam, occasione Scopulorum hinc inde exstantium videmus in Rivulos uno plures dirimi.

§. 6. Et ratione Usûs, Cribra easdem vel Emunctoria meritò dixeris, undique Vasculorum tam Inferentium, quâm Efferentium productionibus instructa, & quosdam quasi *Renes* candicantes *parvos*.

§. 7. *Caro Viscerum* verò vel Carnosa Membranosæ cujusvis Partis Substantia, quo titulo Veteres Oesophagum, Ventriculum, Intestina, Vesicam, & Uterum habebant, sub initium Capitis ex eò nobis suspecta visa est, quod quicquid Carnosi ibi occurrit, Texturam muscularem quampiam sapiat, inque statu adversæ Valetu-

letu-

letudinis, æquè ut Musculi, quam sæpè spasmis, tensivo Dolore, Paralysi corripiatur.

§. 8. E contrario, de constituendo *Fungosarum vel Spongiosarum Carnium* genere, minus cogitarunt; qualis videlicet est Gingivarum, Uvulæ, & Tonsillarum, vulgò pro Glândulis habitarum, cum tamen ab harum Texturæ modo recedant insigniter.

§. 9. Post Carnes *Vasa* perfectum præ cæteris Naturæ Architectricis magisterium *Hydraulicum* nobis suppeditant, sive *Ductus* & *Ramificationes* consideres, sive *Valvulas* hinc inde intersperfas, sive Aperturas mutuas, vel *Anastomoses*. Ratione *Ductuum* enim, facundiam superat, quâ Arte, quamque ad stupendam exilitatem & numerum, Vasa sanguinem, Chylum, Lac, Lympham, Laticem Nervino-Medullarem, Fel, Salivam ferentia, tanquam verissimi Aquæductus in Hydropægnio vivo vel Machinâ spirante Hydraulicâ sint efficta: & conspicua tum demum eò magis, tanquam Arbores, in Ramorum Ramulos divisas, quo dexteriorem Manum admoveris, ad Viscerum Excarnationem integraque extractorum Vasorum Systemata, non sine magno labore Tabulis agglutinanda, quales in Theatris Anatomicis Patavino & Hafniensi conspicere est.

§. 10. Et quia periculum alicubi est, ne Humor per Vasa circulandus, in suo ad Partes transitu, vel segnior redditus, tandem subsistat, vel impetu majore per angustias quasdam actus, in eundem quo pronum ferebatur, Ductum vel Tubulum restagnet; ideoque Natura *Valvulas* hinc inde tam Venis, tanquam Cataractas, providè interposuit, Cordi obversas, quàm Arteri-

teriis (quantumvis parciùs) tanquam Repagula totidem, à Corde aversa. Similesque quæsitæ & partim inventæ in Lacteis, etiam Lymphaticis & Nervis per Anatomicorum industriam sunt. Quibus *Bilsius* Figmentum & Valvulas imaginarias Roriferorum suorum Ductuum obtrusit.

§. 11. *Anastomoses* verò vel Aperturæ *Vasorum* mutuæ, promovendæ Circulationi toties dictæ, aut aliis Humorum Motibus, ab Anatomicis vulgo constituuntur quadruplices. *Inosculativæ* videl:, duorum Vasorum, per Orificia extrema sibi mutuo junctorum; sed suspectæ inde mox habitæ, quod præsuppositis iis, sanguis Nutritius effluere ex Arteriis non possit. *Arcuatæ* h. e. tales, quibus extrema Vasis cujuspiam Curvatura, Humorem contentum in latus alterius effundit: cujus exemplum habemus in Concursu Ductûs Lactei Thoracici, cum Venâ subclaviâ. *Laterales*, duorum Tubulorum laterum tenus se contingentium, inque Puncto concursûs apertorum. Et *Canaliculatæ* qualis in fœtu supra Cor conspicitur. Quibus *Vaginatæ* denique, prout antecedentibus annis Dn. Præsidi per literas ab amico relatum est, in Demonstratione quâdam Anatomicâ, à *Stenone* eximio, Hafniæ superadditæ sunt, ita se habentes, ut Arteria parti Venæ, vel pars Venæ parti Arteriæ, inserta sit, tanquam Gladius Vaginæ, ex quarum commissurâ, tenuior Sanguinis pars laterumtenus effluat, Partique alendæ impendatur, salvo maneute integro Circulo Sanguinis.

§. 12. Restant inter Partes ad Situm indistinctim se habentes *Pili*, qui nihil aliud sunt, quàm Cornua totidem, aut Cornea Fila, vel Cylindri Cornei flexiles, ex

Poris Animalium deducti: quorum usus communis ferè, maximam partem, *Cosmeticus* & *Vestiarius* est, ornare, & ab injuriis externis Atmosphæræ, tueri Cutim. Specialiores alii in specialiore aut Distinctiore Historiâ Partium, adducentur.

Caput VI.

§. 1. *Distinctior Corporis Divisio in Truncum & Artus.*
§. 2. Vertex & Tempora *undè dicta?*
§. 3. Capillorum *Taxis & Helices.*
§. 4. *Eorundem cum Cornuta Hominis Facie concursus.*
§. 5. Cornua *Architectis & Anatomicis, strictæ quævis Eminentiæ.*
§. 6. Cranii *Textura mira, & Striæ primordiales Chronodicticæ.*
§. 7. *Obiter de Instrumento Rudbeckii, ætatem cujusque Loci vel Fundi mensurandi.*
§. 8. Faciei *in suas partes divisio.*
§. 9. *Symmetria Eminentiarum* Frontis, *Pictoribus observata.*

§. 1.

DE Partibus enim Humani Corporis, ratione Sedis, quam distinctim aut peculiariter in eo obtinent, notandum, distingui Districtus earundem, in *Regiones*, Truncum Corporis integrantes, & *Artus.* Earumq; Summa, *Caput* dicitur, ipsum postea in Regiones minores, in Synciput nempe cum Facie, Occiput, Verticem, Cervicem, Regionem Aurium, Tempora, & Collum annexum; vel brevius: in partem Capillatam & Glabram seorsim distinctum.

§. 2. Ex quibus quemadmodum *Vertex* à vertendo, quod Pili ex eo, tanquam principio Spiræ, circumquaque vertantur; sic *Tempora Riolano* (*Enchirid. Anatom.*

tom. lib. 4. cap. 1. pag. 239.) quod Tempora Ætatis, Cavitate indicent, vocantur; & ſic per ipſam Naturam haberi hic videatur *Chronodicticum* quid.

§. 3. Ultra quæ priusquam dicendo provehamur, *Pilorum Capitis*, à Deo numeratorum, *Taxis* aliquam meritò ſui ſpeculationem exigit, à Vertice jam dicto ordinariè in Helicem vel Spiram procedentium, tanquam Phalanges dixeris, ritè diſpoſitas, in Campo ambulante; nec transſcendentium facilè Metas ſuas præſertim verſus *Frontem*.

§. 4. Cujus elatiores partes ſupra Oculos ac Tempora, *Albucaſis*, vetus Medicus Arabs, *Architectorum* conſuetudinem ſecutus, ac alii, Eminentias ſtrictiores quasvis Cornua appellantium, ipſi quoque *Cornua* vocarunt. Quo præſuppoſito, facillimam hodiè, de *Facie Moſis Cornuta*, interpretationem ex eruditisſimo Tractatu celeberr. *Dn. Reyheri*, Prof. Publ. meritisſimi, Præceptoris ac Fautoris mei maximè colendi, *Matheſis Moſaica* inſcripto (*Tit. 22. p. 503. ſeq.*) & D. Th. *Bartholino* ibidem citato, petimus, contra miros ſæpe ac ridiculos, hac ex parte, Pictorum errores. Eodemque ſenſu Extremitates vel Eminentias ſuturæ Lambdiformis, *Cornua* quoque vocatas Veteribus Practicis, *Riolanus* (*Enchirid. Anat. lib. 1. cap. 8. pag. 19.*) innuit.

§. 5. Interim *Architectonicè* ſi porrò Comam conſideres, eademmet in Homine idem eſt, quod in Columnâ Jōnici Ordinis, in ejus Volutam, tanquam Cincinnos Virginum Criſpos transiit, quibus etiam Encarpos, tanquam Crinium ornamenta, addebant Veteres, teſte *Vitruvio*. Vel etiam quod Tectum in Domo eſt, id in Capite eſt Coma.

§. 6.

§. 6. Quæ si fortè vulgaria nimis alicui censeri possint, age, in subcutaneis strictim spectemus *Cranium*, magnitudine, duritie & Visceris contenti mobilitate conspicuum, prout videlicet hoc non osseum statim à Naturâ factum sit, sed ex Principio planè subtili ac fluido, formam Texturæ Araneiformis tenuissimæ primùm habente, hinc Membraneo sensim reddito, de Mense in Mensem incrementa sua assumsit; postea in Cartilaginem induratur, ac demum planè ossescit, perseverante sat diu admirabili Striarum, in certos ordines eleganter actarum positu: quem optimè perdiscas ex Osteogeniâ, à celeberr: *Kerckringio* editâ, in Iconibus distinctis exhibente Striata ista Membranarum ossescentium Augmenta, de Mense in Mensem, tanquam testes nativi ad *Textoriam*, *Tacticam*, *Chronodicticam*; spectantis Artificii.

§. 7. Quale quid vel extra Hominem, mirâ ingenii sagacitate elicere cæteroquin novissimè in Sueciâ deprehensus est Vir celebratissimus *Olaus Rudbeckius* ex Ligone videlicet in Terram adacto, Instrumentoque deincerti generis, h. e. Bacillo mensorio, in digitos diviso, adhibito, supputationem instituens Humi superioris Atræ, pullulationi Plantarum inservientis, ad Terræ subjacentis asperioris, limosæ, sabulosæ aut arenosæ Texturas reliquas; & quæ sit cujuscunque Fundi ætas, à quot Seculis idem incultus jacuerit, & quantum in singulis Locis Atra Humus à tempore Diluvii increverit, ostendere præsumens in memorabili *Atlantica* suæ Opere; in cujus cap. VI. paragraphus 4. & 5. legi merentur.

§. 8. Interim *Faciem* vivacissimam partem exter-

nam

nam Capitis libet dirimere in *Frontem*, *Oculos*, *Nasum*, *Genas*, *Aures*, *Os* (cum Barbâ) tanquam Palati Vestibulum ac *Mentum*.

§. 9. Ex quibus de Cornutâ *Frontis* figurâ determinatione non est, ut ampliùs quid retraham huc ex iis, quæ jam (§. 4.) de capillitio ad illam excurrente, prolata sunt; nisi hoc unum, quod illius *Pictores* Faciei Humanæ prima Lineamenta designaturi, prudenter faciunt, præter lineam Ovalem, & alias duas mutuò se decussantes, quartam quoque sinuosam addendo, Capillitii & Frontis designatricem, tanquam ex duobus arcubus constantem juxta Schema appositum: quo per * * Asterismos duos, ad latus utrinque appositos, identidem dicta Mosis & aliorum Hominum Cornua designantur.



CAPUT VII.

§. 1. Oculus, *Camera obscura Naturalis*.
§. 2. *Ab Oculorum Situ eminulo*, Militares *Excubiæ inventa*.
§. 3. *Lens Caustica Oculi*, *minus rectè* Humor Crystallinus *vocata*.
§. 4. *Diversi Oculorum Motus*.
§. 5. *Mechanica* Musculi Trochlearis *Fabrica in iisdem*.
§. 6. Palpebrarum *Motus celerrimus*. *Aqua Natatilibus loco Palpebrarum*.

§. 7.

§. 1.

O*Culus* conſenſu Mathematicorum omnium quemadmodum accuratisſima quædam eſt Camera Obſcura Naturalis; ſic Camera Obſcura artificiosè facta, Oculus Artificialis dici promeretur, ſive Modum Viſionis inverſum intelligas, Decusſationibus Radiorum luminoſorum, per *Lentem Cryſtallinam* tribuendum; ſive arbitrariam Pupillæ in Oculo, & Vitri, in ſuperficie externá Cameræ poſiti, Contractionem & Dilatationem, pro dato majore aut minore Radiatione Luminis.

§. 2. Et quemadmodum Oculorum par, ratione Sitûs antici, in ſublimi, officio Feneſtrarum Corporis defungi dicitur. Sic optimum præterea Fundamentum *Disciplinæ Militari* præbuerunt, inter alia id exigenti, quomodo Excubiæ in Speculis, Turribus, Vallorum & Propugnaculorum Eminentiis, ac Muris ſint ponendæ, ut, quod omnes ſingulorum Civium oculi ſimul vide-

re non posſunt, id pauci Excubitores, tanquam Oculi, magni alicujus Corporis, eminus proſpectent.

§. 3. Nec verò id eſt ſilentio transeundum, Lentem Cauſticam, hic circa initium indigitatam, vel *Globum Cryſtallinum Oculi*, Humori Vitreo & Aqueo, internatantem, certantemque cum Perſpicuitate eorum, ipſummet quoque *Humorem*, falsò, ſi quicquam, communiter appellari. Exemptus enim non diffluit, ſed globularis ſuæ Texturæ modum, cum renitentiâ quâdam ſervat, conſtans (ut post Coctionem ejus liquet) & plurimis Circulis ac ſemicirculis tenuisſimis, Humore balſamico ſummæ puritatis, anteà irriguis, cujus beneficio, *Vitri Dioptrici* vices, monente *Carteſio*, quoque ſubit, & multùm majores Literas exhibet, ſi Chartæ imponatur; nondum exemptus verò ac vivens, Conum Luminis, in ſe refracti, ad Fundum Oculi projicit, & Imagines rerum exteriorum, inverſim ſiſtit.

§. 4. Isthoc jam adeò nobile Senſorium, Oculus, quo tum ab externis citò ſe ſubducat injuriis, tum ad omnes ſentiendi occaſiones ſe promtum ſiſtat, retrò annexos ſibi poſſidet *Muſculos* Phoranomicam Curioſam mirè illuſtrantes. Quorum primus, Oculum rectà attollens, *Superbus*; oppoſitus huic alter, Oculum rectà deprimens, *Humilis*: rectà adducens tertius, *Studioſus* vel *Bibitorius*: rectà abducens quartus, *Indignatorius* vel *Excubitor*; quintus & ſextus obliquè Oculum attollens & deprimens *Amatorii* vocantur.

§. 5. Quorum Quintus *Trochlearis* etiam dicitur, & perelegans nobis *Mechanicæ* artificium ſiſtit, ratione ſui Tendinis teretis, tanquam Funis Ductarii,

qui

qui per Cartilaginem ſupernè ſuſpenſam concavam, inoffenſè tranſiens, tanquam per Trochleam, citra Controverſiam inveniendis Materialibus, in *Mechanicâ* frequens adhibitis, Occaſionem dedit.

§. 6. Nec minor *Palpebræ* ſuperioris (Inferior enim immobilis.) in claudendo contra moleſtias externas, agilitas vel ad occurſum leviſſimi pulveris. Et Piſces quidem & Cancri Palpebris deſtituuntur. Sed Aqua ipſis loco illarum eſt, quibus iidem ab externis injuriis ſecuri perſtent.

§. 7. Tum ne à continuis Motibus quoque Oculi noſtri in ſuperficie exareſcant, ulteriùs ipſis proſpectum eſt, per hiantia in Limbos Palpebrarnm Vaſa Lacrymalia, vel Ductus Aquoſos, à *præclariſſimo D. Meibomio* detectos, & ſubminiſtrantes ſubinde Lympham, vel Laticem Lacrymalem, tanquam Rotæ Axungiam.

§. 8. Ac ſeorſim *Ciliorum* & *Superciliorum* uſus *Architectonico-Opticus*, aliquis quoque elicitur, quod Oculo ſint tum loco Tecti aut Imbricis, tum Umbraculi gratiam eidem præſtent, ne Radii luminoſi copioſius in Oculum proruentes, Viſionem perturbent, & Globulum Oculi Cryſtallinum reddant Cauſticum.

§. 9. De *Naſo* argutè magis, quàm ſeriò, à ſalſis ingeniis decretum eſt, penes aliquos loco *Gnomonis* inſervire, quo Horæ notentur, ſi Ore aperto Naſus ad Solem dirigatur ſecundum vulgare hoc Diſtichon:

Si Tuus ad Solem ſtatuatur Naſus hiante
Ore, tuis diſces dentibus, Hora quota eſt.

§. 10. Et rectiùs hic ſubeſt *Pneumaticum* quid, ratione periodicæ Aëris per Nares Reſpirationis.

§. 11. Quin imò ad *Musicam* fundamentaliter explicandam facit, rationem habere Narium. Ampliores enim illas, non parum ad Vocem augendam conferre, *Fallopius* autor est, Assertum id Exemplo Theatrorum veterum declarans: in quibus suspensa erant Vasa ænea, ad Musicas rationes adornata, pulcreque descripta à *Vitruvio libr. V. cap. 5. toto.*

§. 12. Ut in gratiam *Cosmeticæ* non multa addam, cum vulgò notissimum sit, quod suffragio *Severini*, ab eo uno plurimus veniat faciei Decor; exsectoq; eodem, vel vi aliquâ depresso, exeso, ambusto, aut putrefacto, tam magna emergat Deformitas; ut *Chirurgiâ Curtorum* quandoque opus sit, circa substituendum Nasum artificialem, ex Carne exsectâ alterius Hominis, occupatâ autore *Tagliacotio.*

§. 13. *Architectonica* verò imprimis Speculatio nos urget, juxta quam *Nasus* nihil aliud, quàm Imbricem quandam dicimus, transmittentem humores è Capite destillantes, quo minus Thoracem vel Ventrem commaculent. Unde apud *Vitruvium* (*lib. 7. cap. 4.*) extrema Canalis pars, qua Humor inutilis à Domo, salvo inferiore ejus pariete, deducitur, Narium titulum invenit, suffragante *Vopisco* & *Salmasio*, quos *Philander* (*in Notis*) citat. Et Scatia Italis, vel Cavettino (die Regen-Höllinghe, Batavis) vel Regen-rinne/ ratione Prominentiæ & Stillicidii inde deducti, tam in Trabeationibus & supercolumnis, quàm sub Pedibus Columnarum, ut est apud *Serlium* (*Architect. lib. 4. cap. 5.*) ac alios, Nasi humani vicem subit.

§. 14. De *Genis vel Buccis* in gratiam *Cosmeticæ*, hoc

hoc notare libet. Communiter *Pulcritudo* ex Symmetriâ Partium solâ æstimatur, & censentur Genæ illius sedes præcipua. Sed non sufficere Lineamenta ritè disposita, ex eo patet, quod Radiis solaribus per Prisma in loco obscuro in Genas (etiam rectisfimè valentes & florentissimas) directis, tota Facies actutum turpiter fœda reddatur, ob Colorem heterogeneum sibi adspersum, salvis Lineamentis superficialibus. Multumque obstant nativæ suæ Pulcritudini Virgines, Pallorem in Facie procurando per Cosmetica, Cutim dealbantia, & esum Cretæ, aliarumque rerum Digestionem turbantium, ut inde saltem purpureus Rosarum flos invitâ Naturâ, exstinguatur.

§. 15. Hinc de *Auris* structurâ *Acustico-Architectonicè* afferri valerent pluscula, dicendo de Undulatione sonorâ Aëris, Auxiliis artificialibus Auditûs, Tubâ Stentorophonicâ Morlandi, Aure Saxeâ vel conchato Carcere Dionysii, ejusque Ductibus Phonagogis, Lapide Surdo Scotiæ &c. nisi tum Tempus & Charta nobis decresceret, tum sufficienter de his jam ante octennium à *Dn. Præside*, *in Diss. d. Anat. Novâ*, abundè esset actum.

§. 16. Ut & de *Tympano* vel subtili & strictâ illâ Membranulâ tensâ Cavitatis secundæ vel Atrii, cum minutulis, magnæ mobilitatis, ossiculis; ex quâ, Tympanis bellicis inveniendi occasionem datam vel hæc ex illâ convenientissimè explicandam, vix aliquis, (Spero) futurus est, qui dubitare velit.

§. 17. *Phoranomicas Oris* ac *Labiorum* Actiones, Apertura illius arbitraria, Ciborum Receptio & Masti-

catio, Oſcitatio, Riſus, Sermo, Cantus, Vociferatio, Clauſura, Suctio, Murmuratio, vel aperta & plena Ululatio Pugnæ, (φονὴ πολέμου) audita in Caſtris, (*Exod.* 32. v. 17.) & alia pluſcula, ſatis produnt.

§. 18. In *Labiis* verò imprimis Suctioni intentis, manifeſto *Pneumatichydraulicæ* fundamentum quoddam ſitum eſt; indeque Cucurbitulæ, Tubuli, Siphones ac Siphunculi, in Chirurgia ac aliis πολυπραγμοσύνης humanæ partibus ſunt adinventi.

§. 19. Atque intra *Fauces* qua ratione *Mercurialia* Medicamenta ſalivationem exhibeant, Aurumq; Ori inſertum reddant decolor, Ætiologiam determinatò haut facilè ſis in aliorum Scriptis reperturus. Quò minùs tamen rotundè dicamus, nil impedit; partim Chimicâ quâdam ratione iſtud fieri, quatenus minutiæ Hydrargyri ad Glandulas palatinas ſublimentur: partimque dein *Hydraulicâ*, quatenus eædem in Globulos collectæ iterum, Capillamenta & ductus Vaſorum obſtruant, & protruſioni ad os, intercedente Gingivarum intumeſcentiâ, procurent.

CAPUT VIII.

§. 1. Cerebrum *Saponiforme*; *ejusque Meatus*, & *Conſideratio Chimica.*

§. 2. *Sublimatoria Spirituum Sanguineorum Deſtillatio.*

§. 3. *Spirituum Opticorum Deſtillatio ad Latus*; & *reliquorum, in ambitu Cranii.*

§. 4. *Deſtillatio per Deſcenſum in Nervis Sexti Paris.*

§. 5. *Imaginarius contra defluxus Pituitæ ex Cerebro ad Fauces rejicitur.*

§. 6.

§. 6. *Circulatio Spirituum*, *in* Reti Mirabili, *Scrutinio quàm accurato digna:*
§. 7. *miraque ejus Textura*, *Veterum* Byſſo *præfertur.*
§. 8. Gingivæ, *Cæmentum Maxillæ & Dentium.*
§. 9. Dentium Inciſorum *Mechanica vis in Homine*, *& Brutis.*
§. 10. Dentes Canini, *naturales Clavi aut Cunei:*
§. 11. *Iidem recurvi & maximi in Elefante ac Rosmaro,*
§. 12. Molares Dentes *Molendinorum archetypi.*
§. 13. Lingua *Phoranomicæ quædam Officina.*
§. 14. *Locus quidam Hippocratis Glotto - Muſicus explicatur.*
§. 15. *Senſus Externus formaliter non niſi Unus.*
§. 16. Tonſillarum *Caro peculiaris*, *non glandulosa.*
§. 17. Uvulæ *Actio Pneumatica.*

§. 1.

DE Partibus, in Palato contentis, directè ſubnecti poſſet ſermo: ſed priùs de potiore Capitis & totius Corporis Nucleo, *Cerebro*, Saponiformi illo, & multiplicibus Meatuum & Vaſorum Mæandris mirè intertexto, facundiam omnem ſuperante Congelamine, de quo Tricubitale Volumen poſſet concipi, compendio agamus dicendo, hic maximè omnium, *Chimiæ* portionem haut parvam ſpecimine Archetypo illuſtrari, ſive Deſtillationem, quæ Adſcenſoria dicitur, conſideres, ſeu alteram, quæ ad Latus, ſeu denique quæ per Deſcenſum.

§. 2. Spirituum enim Sanguineorum, per Arterias Carotides, ad Caput Translatio, quid aliud quæſo ſit, quàm continua quædam ad illud *Sublimatio*? at ubi dein, per Tubulos convenienter nerveos, deorſum ex Medullari ſubſtantiâ Cerebri derivantur, quid aliud, quàm *Deſtillatio quædam nativa per Alembicum?*

§. 3.

§. 3. Quatenus verò antrorſum ac à Lateribus Cerebri, Spiritus Optici, Guſtatatorii, Acuſtici, ac alii, ex Spiritu Sanguinis rectificatisſimo recens facti, Partibus qua ſenſoriis, quâ motoriis, extra Cranium poſitis, impenduntur. *Deſtillationem ad Latus* præbent, perceptu facilem affatim, ut explicatu ulteriore non indigeat.

§. 4. *Deſtillationem* vero, quæ *per Deſcenſum* dicitur, hic antequam pergamus, neceſſario in Veram & Falſam diſtinguimus. *Veramque* conſiſtere putamus in Spirituum Cerebralium ad Ductus Nervorum Sexti Paris transmiſſione, utpote deorſum longè lateq; tendentium, cumque prioribus ortorum ex continuatione oblongâ Cerebri intra Cranium ſeu Principio Spinalis Medullæ, utpote in quo Nervi, intra Cranium conſpicui, præcipuè radicantur.

§. 5. *Falſam* verò ac imaginariam cenſemus, quâ Pituitæ defluxus ex Cerebri Baſi, per ejus Membranas aut Infundibulum, tanquam Manicam Hippocratis, eique ſubſtratam in Ephippio Oſſeo Glandulam Pituitariam; hinc per Latera (aut plane Texturam osſeam) osſis Cuneiformis; & per Faucium Tunicam, (proh quanta obſtacula!) in Nares, Oculos, Fauces vulgo tribuitur. Quam Traditionem de plus æquo celebribus his Cerebri Emunctoriis, *Galeno*, ac ejus Aſſeclis, debemus. Inter quos *Salomonem Allbertum* etiam refero, qui adeò lepidam rem, *in Hiſtoria Partium Hum. Corpor.* (*pag. 10.*) additâ etiam Icone, depingere conatur.

§. 6. Quibus utiliora ſectabimur & quid *Cerebri Plexus Retiformis* Priſcis, vel Rete Admirabile, Recentiori-

tioribus vocatum ſpeculatu dignum exhibeat, addemus: Hoc videl. in Membraneo hoc, (ex Pia Matre) Arterioſo, (ex Carotidum Ramis) Venoſo (ex Jugularibus) & Glandulari (ex Glandulis Propriis) involucro, anteriores Cerebri Ventriculos perreptante; indeque circa circuitum Sellæ Equinæ, (cui Glandula Pituitaria incubat) diſperſo, tanquam in ſerpentinis Alembico impoſitis, agitari â Naturâ *Circulationem* quandam Spirituum *Chimicam*: quod Opus ex Neotericis aliqui eatenus conantur exprimere, quatenus in Involucro iſto prorſus mirabili, nec æque (juxta quosdam) in omnibus hominibus reperiundo, exiſtimant, Spirituum Animalium rudimenta iſthic fieri. Nec inficetè etiam: modo ne repugnet Texturæ ejus partis exilitas, ad totam molem Cerebri, Spiritibus irradiandam, comparata.

§. 7. Minimum peculiare *Texturæ* longe excellentioris ſpecimen effulget, quam vel ex Arachnis, vel Palladis Manibus quis potuerit præſtolari. Certe magno olim pretio conquæſita in *Panno Byſſino* ſubtilitas, cum Reti Mirabili collata, turpis Saccus & inficetum Mali Navalis velum fuerit. Cujusmodi Panni interim, ex *Byſſo* facti, ſicut & Byſſi ipſi Marinæ, exemplar, Neapoli ex Muſeo Ferrandis Imperati, aliudque Româ allatum in Muſeo ſupra-laudato maximè curioſo *Dn. Præſes* tenet.

§. 8. Sed his miſſis, de *Contentis in Palato Partibus* ut porrò quid dicamus; *Gingivæ* Dentes firmant, tanquam in *Murariâ* vel *Architectonica* Cæmentum, Lutum aut Calx, Parietum Lateres Coctiles, (vel Tigna & Bacillos in Caſis pauperum) Saxave Ædium funda-

mentalia, in exſtruenda Domo majuſcula, firmat, ne ſedibus ſuis elabantur.

§. 9. Inter ipſos *Dentes* verò, quorum alii Acuti in Latitudinem, (vel Inciſores,) rotundè-acuti (vel Canini,) alii non-acuti, & plani potius ſunt (Molares dicti) Inciſores *Mechanicè* loquendo, nihil aliud, quàm Lati quidam Cunei ſunt. Eorumque ad ſe invicem Colliſio, quâ Cibi diſcerpuntur ac diſſecantur; uſum monſtrare potuit Forcipis inciſoriæ (Kneipp-oder Zwick-Zange) inveniendæ; in Fibro vel Caſtore ac Sciuro, adeò validorum, ut hic vel duriſſimas Nuces, & Cortices Arborum in Fragmenta ſecet. In Avibus & Teſtudine ſcutatâ, Limbus Maxillarum acutus loco Dentium Inciſorum, in ſeriem poſitorum, eſt.

§. 10. *Dentesque rotundè-acuti* in Homine *Canini* appellantur, ob acutiem, in Canibus præſertim conſpicuam, quâ ii, quod Inciſoribus diſcindere non poſſunt, per Cunei cuſpidati aut Clavi vim terebrant & confringunt.

§. 11. In *Elefanto* duo ejusmodi dentes, ſed recurvi, maximi aliquot Cubitorum longitudine, extra roſtrum, ſurſum prominent. *Rosmaro* contra, Marinæ Beſtiæ, veteribus, ni fallor, ignotæ, vel Vaccæ marinæ, pro Hippopotamo falsò habitæ, ſimiles dentes omnium firmiſſimi, precioque, nitore, & Viribus Medicis certantes cum Ebore, deorſum ex Cranio prominent. Cujusmodi Cranium, Dentibus iſtis integrè adhuc armatum, videre licet in Muſeo *Dn. Præſidis*, haud paſſim in Rerum Naturalium Conclavibus alias reperiundum.

§. 12.

§. 12. *Dentes non-acuti* seu *Molares* inventionem suppeditarunt *Molinariæ*; in quâ Lapis Molaris unus circumactus supra immobilem alterum, Frumentum in Farinam prorsus eâdem ratione comminuit, atque inter Dentes Molares, superiori (immobili) & inferiori (mobili) Maxillæ infixos, cibi masticando comminuantur, suffragante *Ecclesiaste cap. 12. v. 3.* qui evolvi ac legi promeretur.

§. 13. Sed quid *Lingua*, versatile illud Plectrum Mentis, quod intempestivis *Motibus* suis autor haud paucis ad sustinendas magnas & ineffabiles Calamitates fuit? Utique de illâ *Phoranomicè* agi posset affatim, considerando Motuum ejus, imperscrutabili quâdam celeritate, mutuo sibi succedentium, varietatem.

§. 14. Sed placet strictim explicare difficilem alias locum *Hippocratis*, quo ipsam, judicandis Saporibus intentam, rationes Musicas imitari, expressè ait (*libr. d. Vict. Rat.*) inter alia scribens: *siquidem Lingua probè composita fuerit, Concentum delectare; sin verò inconcinna fuerit, molestiâ afficere.* Nam facilè dixerit quis: Quid Consono aut Dissono cum sapore?

§. 15. Enim verò qui perspexerit, Sensum Externum propriè haberi non nisi unum, & modificari quintupliciter saltem juxta Organorum sensoriorum Structuram accidentalem totuplicem, convenienter *Hippocratem* loquutum, facilè judicabit. Quam in rem placet adscribere verba *Dn. Præsidis*, ex quodam Collegio ejus, in Institutiones Medic. privatim habito; hunc in modum: *Sensus quem vulgo quintuplicem statuunt, propriè non nisi Unus est, si Modum Agendi & Patiendi, in* omni-

omnibus quinque ſenſuum Organis accurate convenientem conſideres, conſiſtentem in eo, ut Motus, certà ratione modificatus, ab objecto externo ſubtiliſſimus imprimatur fibris Nerveis, hincque continua earundem ductu ad Cerebrum propagetur, ac ibidem ſpeculabundæ ſiſtatur Animæ. Unde haud ineptè ſenſus ſimplex in Carteſiana Philoſophia dicitur; & nulla non Lingua habetur, in quâ non Reciprocativæ quædam de Rebus ſenſibilibus, Phraſes ac Modi loquendi habeantur, quales ſunt, Dulcis Muſica; Pati Acerbos Dolores; Mollia Verba dicere; Dulcis Odor coram Domino &c. ut hoc pacto ipſa quaſi Natura, & ejus in ſentiendo ſimplicitas videatur Gentes, de hac etiam philoſophandi ſubtilitate nil cogitantes, ad ipſos loquendi modos compuliſſe.

§. 16. De *Tonſillis* contrà oportet agere parciùs, cum aſſentiamur clar. *Hornio*, (Microc. §. 18.) ingenuè fatenti, earum uſum ſibi adhuc viſum fuiſſe incognitum: niſi quod monendum putemus, Carne ipſas conſtare Fungosâ vel Spongioſâ, ſecus ac recepta Opinio fert, quâ Glandulis accenſentur.

§. 17. Officium verò *Uvulæ* ſeu *Gurgulionis*, figurâ Conum penſilem, vel Stiriam referentis, magnâ veri ſpecie putamus *Pneumatico-Phonologicum.* Inſervire nimirum Laryngi loco plectri, & frangere Aëris impetum, in Pulmones non tam attracti, quàm proprio pondere irruentis.

Caput IX.

§. 1. *In* Collo *Mechanicum quoddam Artificium,*
§. 2. *ratione* Vertebrarum, *Atlas & Dens Hippocratis dictarum.*

§. 3.

§. 1.

SUmmæ ac Mediæ Corporis regioni, *Collum* interjacet. Quod sive isthuc, sive huc referas, hic equidem est perinde. Et quamvis ex ejus etiam Partibus tam Continentibus, (Cervicè, Jugulo, & eo spectantibus Musculis subcutaneis, ac Vertebris) quàm Contentis (Larynge, Vasis, Thymo, & Glandulis reliquis, cum Medullâ Cervicali, & Nervis inde tendentibus) aliqua possint elici, tanquam Archetypi totidem ac Bases πολυπραγμοσύνης experimentalis multiplicis: brevitatis studio tamen, & velut extremo Indicis apice saltem indigitabimus *Mechanicum quoddam Naturæ Magisterium*, quod in Compositione Primæ & Secundæ Vertebræ declaravit; quoad Structuram & Usum, à reliquis totius Spinæ Vertebris penitus discrepantium.

§. 2. Quo planior enim Superior Vertebra supernè deprehenditur, *Atlas* dicta, eademque eminentiis spinosis destituta, & sinubus suis planis, congruentes sibi Cranii Protuberantias totidem sustinens, *Coronas Hornio* (*Microcosm.* §. 47. *pag.* 96.) vocatas: hoc operosioris

ſtructuræ altera, ex medio ſinu sui Corporis, aſſurgentem *formâ Dentis Canini*, Proceſſum exhibet, circa quem, tanquam *Axem* in *Peritrocho*, *Mechanicè* dictum, Caput pro arbitrio vertitur, quoties Cervice immotâ annuimus vel renuimus, Caputvè, tanquam Orbem Cœleſtem, Atlanti ſuperimpoſitum, circumagimus. Diciturque ob hunc Proceſſum dentatum tota Vertebra Colli ſecunda, *Dens Hippocratis.*

§. 3. Hinc *Thoracem* dirimere placet in partes Exteriores ultrò patentes, ad quas ſpectant *Præcordia*; & illas, quæ non niſi per ſectionem patent, utut etiam ex his aliquæ Continentibus annumerari queant.

§. 4. Quorum *Præcordiorum Fovea*, cum medio loco ſe habeat inter Pubem & Os, quod Circino appoſito, vel Lineâ ab Ore deorſum ductâ patet; *Eumetriæ* hic iterum manifeſtiſſimum adeſt ſpecimen. Vocanturque *Præcordia* non à Corde, Vitalium Partium principe; ſed ab orificio Ventriculi, quod olim *καρδία* vocabatur.

§. 5. Intimiores plus minus Partes Thoracis ſunt *Coſtæ*, de quibus (& *Carinâ*) Architectonicè ſpectatis, jam ſupra (*cap. III.* §. 4. *& ſeq.*) aliquid dictum eſt; *Cor* ejusque *Valvulæ*; *& Organa Reſpirationis ac Loquelæ.*

§. 6. In *Corde* primariâ parte ratiocinantis *Automati*, (quantumvis *Bakius* illud alicubi ſervum nominet ſervorum) triplex Naturæ Artificium occurrit; Mechanicum, Automaticum & Hydraulicum. *Mechanicum* quidem ratione Fibrarum Spiralium, quæ tanquam totidem Plana Inclinata Curvilinea aut ſinuoſa, ſuppeditant Motus Spirales contorſivos & reciprocantes, jam in ipſo primordio Cordis conſpicuos, perpetuisque ſui contra-

ctio-

ctionibus & relaxationibus periodicis, Pulsum edunt.

§. 7. Et *Automaticum*, ex priore fluit, quatenus à Corde, vivaciter moto, tanquam à Rotâ Automati maximâ, commoventur reliqua, & Arteriarum præsertim, per universum Corpus sparsarum, motus, ex eodem, primum vivente, ac ultimum moriente, Viscere dependent.

§. 8. Nec *Hydraulicum* denique Artificium elegans silentio prætereundum; cujus ratio sic se habet: *Cor* Hæmatopægnium Corporis: *Auriculæ* annexæ, Antliæ: à quibus Sanguis, ex *Venis*, Cordi vicinis hauritur, atq; inde per *Arterias* in Universum Corpus diffunditur tanquam Mare, continuis Accessibus & Recessibus agitatum.

§. 9. Et *Valvulæ* cum isthoc negocio egregiè conspirant. In Dextro quidem Ventriculo Cordis *Tricuspides* tres, Venæ cavæ fibris alligatæ tanquam totidem Cataractæ; & *Sigmoideæ* tres in eodem Ventriculo Arteriæ Pulmonalis junctim conniventes, in periculo Regurgitationis. In Sinistro autem ad Aortam spectantes *semilunares* tres, ad idem declinandum regurgitationis periculum; & *Mitrales* duæ, ejusdem Ventriculi, tanquam totidem iterũ Sanguinis aut Cordis, ad Venam Pulmonicam spectantes, Cataractæ.

§. 10. *Organa Loquelæ* & *Respirationis* contrà non tam in Humore, quàm Fluore tenuiore Aëre, vel Aurâ, *Pneumatico-Musicè* ducendâ occupantur, mirè itidem, & penè inimitabili (si Machinam *Alberti M.* excipias) Naturæ Architectricis ingenio, ut hinc Organorum Musicorum in Templis inventio nata sit. Pulmones nimirum, Pneumaticæ Machinæ nostræ, nativi Folles sunt.

Aspera

Aſpera Arteria, ex multis Cartilaginibus annularibus mirè contexta, vocalis Fiſtula, Aerem reciproce in pulmones & ex iis transmittens, in quibus eadem *Taxeos* lege æquè in dextris atque ſiniſtris, in Ramos multiplices divaricatur: *Muſculi Pectorales* & *Intercoſtales* cum *Diaphragmate*, Follium Manubria, ad totum negocium id tam neceſſaria, quàm in Machinâ majore pneumaticâ Templi, Hominum miniſterio opus eſt, qui Follium Anſas vel Trabes prominentes, Pedibus calcent, Manuve elevent, per Jocum proin *Sine Me Nihil Poteſtis Facere*, *vocati.*

§. 11. Quibus omnibus ſupernè quoque, ab annexis quibusdam partibus Palatinis, auxilium accedit. *A Rimâ Laryngis* putà vel *Glottide* & *Labiis*: Ut enim in Fiſtulis majoribus Organi Muſici, Foramen transverſum, Limbis & bracteis ſtanneis perpendiculariter eminentibus, incruſtatur, quæ Ventum coerceant, ne incaſſum aut temerè elabatur: ſic Rimula iſta cum Labiis, plus minùs pro arbitrio adſtricta aut relaxata, Tonos harmonicos diverſi generis modificant: & nimium dilatata quidvis potiùs ἄτονον, quàm propriè ſonorum edunt, ſemiapertæ Januæ exemplo, per cujus Rimam patentiorem actus, convenienter *Veſalius* (lib. 6.) *Suſpirium* fieri decernit. *Linguam* verò in Opere ſoni articulandi, vice Plectri defungi, jam ſuperiùs eſt dictum.

§. 12. At o ſancte & æterne Deus, quot & quàm admirabilia ſunt Tua Opera, quorum ſola meditatio profundior nos obruit, ut ea quæ hucusque allata ſunt, aut ulterius, Methodo Anthropologicâ afferenda reſtant, vix centeſimam partem expleant eorum, à quorum

rum mentione addenda Calamus invitè se abstrahit, ineffabili videlicet novarum identidem multitudine speculationum circumfusus. Quapropter per temporis brevitatem, chartæque angustiam, jubemur, (nunc quidem) Vela dicendi contrahere, & tanquam extremo digito sequentia, admodum transsultoriè contrectare.

CAPUT X.

§. 1. *Summaria* Abdominis *Partium Distributio*.
§. 2. Umbilicus *Centrum Corporis extensi*.
§. 3. Postica *ejusdem Architectonicè spectata*.
§. 4. Inscriptiones Musculi Recti, *tanquam Funium Nodi*.
§. 5. Ventriculus, *Coquus Corporis vulgò habitus*.
§. 6. *Sed Calor, ut talis, potiùs siccat, quàm Texturas Corporum resolvit*.
§. 7. *Obiter de Vitrificatione, in Sacris expressâ*.
§. 8. *Possentque Fuligines, solo Oris Halitu facilè discuti*.
§. 9. *Vulgari Opinioni Fermentales Incalescentiæ substituuntur*.
§. 10. *Conflictus mirabiles Acidi & Alkali ex Borrichio*.
§. 11. *Principium Alkahesticum, & Menstruum Chylificans Boylei*.
§. 12. *Controversi Natales Fermenti Stomachici*.
§. 13. Intestinorum *ad Corpus reliquum Symmetria*.
§. 14. Renum *Hydraulica Consideratio*.
§. 15. *Ductuumq; Seminalium in* Teste *Virili*, *Taxis admiranda*.

§. 1.

PErspectis proin breviter Partibus Summæ ac Mediæ Regionis, adhuc breviùs de Tertii Districtus Corporei portionibus agemus, distribuendo *Abdomen*, consuetâ Methodo, in Partes Continentes & Contentas. Continentesque porro in Exteriores; partim Anticas,

Ventrem constituentes *Umbilicum*, *Pudenda*; partim Laterales, *Hypochondria*: partim Posticas, *Lumbos*, *Anum*: & Interiores.

§. 2. Ex quibus *Umbilicus* Centrum Corporis non Stathmicum, sed *Geometricum* dicitur, quoniàm ductis ex ipso Circulis tribus, extremus ac maximus eorum, ambitu suo Apices Manuum & Pedum extensorum continget; Medius Nasum & Genua; Tertius utroque minor, Foveam Præcordiorum & Pubem.

§. 3. De Posticis nescio, an debeam aliquid dicere. Dicam tamen modestè ac breviter; *Architectos*, Naturam imitantes, ex Partibus his, normam exstruendi Cloacas, in loco ab Oculis Naribusque quam-remotissimo, didicisse.

§. 4. Paulumque Interiores sunt, *Diaphragma*, (Abdomini quàm Thoraci, laboriosius unitum.) *Musculi* Abdominis & Lumbares, *ossa* Pubis, Coxendicis, Lumborum; *Peritonæum*, *Omentum*. Ex quibus Inscriptiones nerveæ albicantes transversæ, (binæ, trinæ, aut quaternæ interdum) in *Musculis Rectis* conspicuæ, sive totidem Musculos, prodant situ discrepantes & numero; sive unum ac simplex musculare constituant systema; id nobis est perinde. Sufficit *Mechanicum* hic clam subesse Naturæ artificium. Dum enim in quòvis Internodiorum interstitio contrahuntur, atque hoc agentes, Ventres suos, præter consuetudinem reliquorum totius corporis Musculorum, introrsum ideò agunt, ut Recrementa ex Intestinis, & Fœtum ex Utero, suo tempore exprimant; non multùm dissimile augmentum roboris contrahunt, atque videmus, Currum à contorto in ali-

quot

quot Nodos Fune potentiùs, quam ſimpliciore eodem, & laxiore trahi.

§. 5. Imprimis verò inter Contentas Abdominis Partes, præcipuum quaſi *Ventriculum*, quem pro ſede, & Regulâ fundamentali *Coquinariæ*, communiter habent, videamus, poſtquam Veteres, de Chimicâ ullâ ac fermentali Alimentorum digeſtione vix cogitantes, *Ventriculum* ſibi imaginati ſunt, nutriendi Corporis Focum; *Calorem*, Coquum; *Oeſophagum* & *Fauces*, Caminum; *Halitus Tranſpirabiles*, Fuligines adſcendentes & *Cerebrum* denique cum *Cranio*, ultimam Fuliginum iſtarum metam.

§. 6. Verùm quantumvis non negemus, aliquem Calorem ſive Ventriculi, & partium adjacentium, ſive Ciborum ipſorum, Calido nativo proprio præditorum, hic intercurrere; iſte Calor Ventriculi tamen tantus non eſt, ut quidvis ſibi obvium, aut per Os ingeſtum, ſine Carbone & flammâ, radicitùs conſumat. Nam Calor, ut talis, agens in Alimenta, nil præſtat amplius, quàm ut Humidas eorum Particulas disjiciendo, ſiccitatem inducat, ſalvâ manente (& non digeſtâ) Texturâ rei ſolidæ: nunquam verò in Colliquamentum Chyloſum ſit converſurus. Quam in rem pluribus egit jam ante Novennium, in quâdam (*d. Ærumnis Gigantum Cap. 3. §. 15.*) ingenioſâ Diſputatione *Dn. Præſes* quinque Rationes ſat validas adducens.

§. 7. Aut quidni planè Ignem Reverberii Ventriculo tandem tribuant, aut *Vitrificationem* ipſam, expreſſam (ut videtur) à *Michæa* cap. 1. v. 3. 4. *Jehova prodibit — & Montes liqueſcent.*

§. 8. Et quantum ad Halitus ad Caput adſcendentes, Cerebrumque replentes, ut Somnolentia post Cibum, aut aliàs etiam ipſe Dolor Capitis, ſubrepat; ſi hæc ita ſe haberent, una & altera fortior Exſpiratio Aëris per Fauces, declinare poſſet omne periculum, abigere Gigantes illos Cœlipetas Halitus acropolin Corporis invadentes.

§. 9. Multumque tutiorem de digeſtivis Alimenti Incaleſcentiis, à Principio Fermentali petendis Sententiam Chimici ſubſtituunt: illudque Principium Fermentale ratione Naturæ ſuæ, hi *Acidum*, aut ſubacidum, alii *Alcaheſticum* appellant. Quod *Acidum* cum Alkalinis Alimentorum Particulis, in Conflictus actum, usque adeo calori producendo idoneum eſt, ut, ſiquidem intenſiores iſti congreſſus ſint, non Alimenta ſolum, in Ventriculo digerenda, affatim incaleſcant ab eo; ſed interdum ipſemet moleſtus Ardor Oeſophagi, vel Soda exin emergat, Faucesque ad albedinem usq; torreantur aut planè febrilis incaleſcentia ad Sanguinem derivetur.

§. 10. Et quidni vel extra Hominem, ſimiles Acidorum cum Alkali conflictus ad Calores (etiam ſine Carbone aut Flammâ) ex tempore ſuſcitandos, ex Chimicis quibusdam Operationibus ſatis conſtent? ſive Vulgares, cum Aqua Forti, Spiritu Nitri, aut Aqua Stygiâ quâvis aliâ, ſuſceptis, cogites; ſive Selectiores quasdam, à πολυμαθεστάτῳ & *Incomparabili* OL: BORRICHIO, (*Volum. I. Actor. Haf. obſ.* 70.) de Regulo Antimonii, & (*obſerv.* 71.) Frigidorum Phlogoſi extemporaneâ, adductas. Quæ certè attentam & curioſam Lectionem (ut reliqua omnia *Viri Eximii*) promerentur.

§. 11.

§. 11. Per Principium vero aut Menſtruum *Alkaheſticum* neſcio quid omnium blandisſimum, (& potentisſimum tamen) à turba Helmontianorum intelligitur, radicaliter quidvis æqualiter diſſolvens. Cui ſimilem liquorem perſpicacisſimus Naturæ Myſta, præparare præſumſit *Boylæus*, Stomachali Fermento analogum: nam ejus beneficio, quidvis Eſculentorum genus, ad formam Chyliformis Liquoris redigere potuiſſe teſtatur in *Hiſtor. Fluid. & Firm. Part. I. ſect. 6. p. 12*

§. 12. Nec circa nativi iſtius *Fermenti Stomachalis* natales, una omnium ſententia, his videl. reſiduæ in Ventriculo, ac aceſcenti Ciborum, anteà digestorum, parti adſcribentibus; illis ad Salivam, è Faucibus deductam; aliis ad Rorem quendam ex ipsâ glandulari Ventriculi texturâ interiore, Arteriolis intertextâ, haud inficitè provocantibus.

§. 13. Ventriculo *Inteſtina* proximè connectuntur, ut liquet. Quorum *Proportio* ad reliquum Corpus eſt hæc, quod Longitudinem totius Hominis ſexies adæquent. In Cygno verò, per manum *Dn. Præſidis* ante 19. annos ad Anatomen revocato, proportio deprehenſa eſt tantùm quadrupla.

§. 14. Retro Inteſtinale Syſtema verò *Renes* poſiti, cum Partibus ſibi connexis, nil non *Hydraulici* inculcant. Præterquam enim, quod ipſos Cribro vel Spongiæ ſimiles, jam olim pronunciavit *Hippocrates de Oſſium Natura (Sect. III. oper. pag. 53.) illic Urinam à Sanguine percolari & ſecerni, eamq; ob cauſam ſanè rubram eſſe* ſcribens; haut male etiam *Pelves* quasdam anfractuoſas, cribroſis Limbis hinc inde, & Effundibulo uno

 grandi

grandi inſtructas dicere poſſimus. Aquæ ductus, Laticem inferentes, *Arteriæ* Emulgentes ſunt; efferentes, *Ureteres*, longo & obliquo meatu ad Hydrophylacium inferius, *Veſicam*, exporrecti. Ex quâ Humor lixivus (in Viris) juxta notum in Hydraulicis Præceptum, tam altè (imò affatim altius) pro arbitrio eliditur, quanta eſt altitudo, quæ à ſitu Renum editiore ad ſitum depresſiorem Veſicæ æſtimatur. *Sphincter* Muſculus, diffuſis in Orbem circa Veſicæ orificium Fibris, loco Epiſtomii eſt, à quo claudendi ac reſerandi illam, ne Urina invitis effluat, omnis vis dependet.

§. 15. Partium Fibroſarum denique, vel *Vaſculorum ſeminalium*, in gyros multiplices contortorum, & quemadmodum *Epididymidem*, *Vaſaque* ſemen *deferentia*, ſic præſertim connexam cum his, *Teſtem Virilem*, conſtituentium, *Taxis*, & Extenſilitas, conſiderandam ſe ſiſtit admiranda: quatenus nempè Fibræ ſeminales jam dictæ, (quorum ſyſtema olim pro Glanduloſo Corpore habitum eſt, & hodie potius pro Medulloſâ aut Pultaceâ ſubſtantia habetur,) inter Membranea quædam Interſtitia ſubtilisſima, aut Loculamenta, ad Citrum disſectum utcunque accedentia, ſpiraliter in gyros quæque ſuos, vel Ductus ſerpentinos, ordinatisſimè ac citra confuſionem ſui locatæ in Teſte rectâ, transverſim aut oblique disſecto, liquidò posſunt conſpici, inque plurimas Fibrillas, Pilorum inſtar tenuiſſimas, hinc inde adeò longè diſtrahi, ut, ſi omnes uno continuo ductu, absque ruptione ſui diſtendi posſent, viginti Ulnarum Longitudinem, ex mente *Gravii*, (*d. Organis Virorum pag. 55.*) facilè ſint exceſſuræ.

Caput XI.

CAPUT XI.

§. 1.

SUpersunt *Artus* , in quibus iterum *Symmetriam* haut vulgarem deprehendere est, vel *Tacticam Harmonicam.* Ut enim vulgò notum non urgeam, quod Homo, Cruribus divaricatis, Brachiisque expansis, Crucem æquilateram refert, cujus Punctum Decussationis in Umbilico defigitur; hoc præcipuè considerandum damus, pulcrè penitiùs synthesin ossium Brachii, cum synthesi ossium Pedis sibi respondere. Quod enim in summo Humeri est Scapula, id in fine Lumborum est Coxendicis Os. Ab istâ Os Humeri, ab hoc Os Femoris dependet. Sub Osse

se Humeri, Os brachii, Radio sociatum; sub Femore Os Tibiæ, Fibulâ itidem sociatum; sub Brachio Carpus & extrema Manus, Unguibus armata; sub Tibiâ Tarsus, vel Pedium, & extremus Pes, Unguibus armatus. Ut hinc minùs absurdè quis dixerit, Scapulam esse Coxendicē Thoracis, & Ossa Coxendicis Scapulas Lumborum.

§. 2. Seorsim verò in *Manu* peculiare habetur Artificium *Mechanicum*, ratione *Musculorum* Perforantium & Perforatorum, in Digitorum flectendis Internodiis; tanquam Funibus per sinus Trochlearum ductis.

§. 3. Utque Pollice *Pedis* conspecto, totius reliqui Corporis magnitudo conjicitur, & é Vestigio Pedis Herculis, ut est apud *Casp. Bartholinum Controv. Anat.* (*d. Homine in genere, quæst. 1. §. 25. p. 7.*) ac *Elsholtzium* (*Anthropometr. pag. 14.*) quantus fuerit totus, Veteres sunt assequuti; id quod maximam Partium *Symmetriam* arguit. Sic Pedes *Geometrici*, longitudinem Plantæ Pedis humani, justæ Staturæ, æquantes, ad mensurandum diversi generis res in *Geodæsia*, & *Eumetriæ* partibus quibusvis aliis, jam ab antiquissimis Mathematicis, maximè verò ad *Modulum* aliquem constituendum, ex quo commensuratio totius Ædificii procederet, ab *Architectis* optimæ notæ, assumti sunt.

§. 4. Quod imprimis in *Ordine* Columnarum *Dorico* conspicuum evadit, invento ex Corporis masculini proportione sextuplâ, ut est apud *Vitruvium* (*lib. 4. cap. 1.*) qui Locus profectò transscribi promeretur, tractans de Iônia, ubi juxta ordinem jam dictum Apollini Panionio Ædes exstructa fuerit: in quâ *cum voluissent collocare, non habentes symmetrias earum, & quærentes,*

quibus rationibus efficere posſent, ut & ad onus ferendum esſent idoneæ, & in adſpectu probatam haberent venuſtatem: dimenſi ſunt Virilis Pedis Veſtigium, & cum inveniſſent, Pedem ſextam partem esſe Altitudinis in Homine, ita in Columnam transtulerunt: & quâ craſſitudine fecerunt Baſin Scapi, tantum eam ſexies cum Capitulo in altitudinem extulerunt &c.

§. 5. *Poſtea Dianæ conſtituere Ædem, quærentes* (pergit Autor) *novi generis ſpeciem, iisdem Veſtigiis ad muliebrem transtulerunt Gracilitatem: & fecerunt primum Columnæ craſſitudinem, Altitudinis Octavâ parte. Ut haberent ſpeciem excelſiorem, Baſi Spiram ſuppoſuerunt pro Calceo.* Ut hoc pacto Longitudo Columnæ *Doricæ* Modulos ſex, *Iönicæ* (ſicut & *Corinthiæ*) Modulos octo ſub initium Architecturæ Correctioris veteris habuerit: *Eumetriæ* ratione utrobivis ex ipsâ Naturâ humani Corporis petitâ.

§. 6. Tum hic ſubesſe *Arithmetico-metricum* quid, & prærogativam quandam Senarii Numeri, qui duplicatim in Duodenario habetur, ipſo quaſi Naturæ indice denotari, ex eo patet, quod quemadmodum tota Viri Statura in Pedes ſex, ſic Pes porrò in totidem Pollicum Paria dirimatur, quia Latitudo Pollicis, duodecies ſumta, cum Longitudine Plantæ Pedis coincidit; & non à *Geometris* ſolùm loco fundamenti aſſumta eſt, ad Corpora varii generis, Pedibus, in 12. digitos diviſis, menſuranda; ſed idem Duodenarius Numerus, apud omnes quaſi Gentes, præ reliquis idoneus habitus eſt, per quem quævis Rationes diviſibiles aliæ, quotidiano uſui inſervientes, computentur.

§. 7. Quo censu haberi possunt hæc: quod videlicet quemadmodum *Annus*, à Romulo primùm decem saltem Mensibus definitus, hinc verò per Successorem Numam Pompilium, binario auctus: sic cujusvis Mensis dies, in Bihoria Duodecim, inque Cœlo, Doctrinæ gratiâ, Zodiacus, in signa sub Schemate Animalis cujuspiam concepta totidem, intra quæ Planetarum Motus coërceantur, est distributus.

§. 8. Eademque numerandi viâ incessisse videas Ethnicos veteres, quibus non minùs *Dodecathei*, vel Dii majorum Gentium celebrabantur bis sex; Jupiter, Juno, Neptunus, Mars, Venus, Apollo, Diana, Minerva, Ceres, Vesta, Vulcanus, Mercurius; quàm *Dodecades*, vel Duodenaria Sacrificia vocabantur, quæ apud Græcos ex XII. Animalibus fiebant.

§. 9. Et *Pythagoras*, Mundi perfectionem vel Pulcritudinem notaturus, formâ *Dodecaëdri* factum censuit; quæ figura est solidi sessilis, XII. Hedris vel Lateribus æquilateris pentagonis constans.

§. 10. Maximè verò huc pertinet, quod JCti, Veteres Romanos sequuti, hodienum omne Integrum, in partes æquales XII. dividendum, canonicè *Assem* nominant, ex eo, quod *As* (de quo, ac ejus partibus *Budæus*, Consiliarius Regius Parisiensis, integrum Tractatum scripsit) vel Libra Æris, in XII. divideretur Uncias, quarum plusculæ, collectim sumtæ, Semissis, Quincuncis, Trientis, ac similibus Titulis efferebantur.

§. 11. Quo ipso collationem *Partium solidarum Corporis* cum Polymathiâ selectiore Empirico-Mathematicâ, possemus concludere, nisi unicum quoddam

ad-

adhuc dicendi Punctum nos detineret, promissi superiùs (*cap. 3. §. 2.*) dati memores, quo Partes solidas in Individuo Proprias, & Matri communes, distinguebamus.

§. 12. Quâ occasione multa quidem de Membranis Fœtum involventibus, vel Hepate, Placentâ Uteri, & Funiculo Umbilicali, dicenda suppeterent; imò tot ac tanta, ut integrum de iis Volumen scripturi, facilè prævideamus inemensurabilem tractandorum cumulum; sed præstat hîc finire, priusquam exordiamur: & referre saltem hoc unicum, quod, si rectè rem æstimemus, nedum quidem jam dictæ partes, communes sint Matri & Fœtui, sed huic etiam maximè utut vix liqueat, à præstantissimis etiam nostri Temporis, Anatomicis id esse annotatum.

§. 13. Si enim Membranæ Fœtum Involventes, Placenta & Funis Umbilicalis ullo modo æque pertinerent, tanquam Integrale quid atque pertinent ad Fœtum; utique adesse etiam deberet connexio, vel per ligamenta ulla, aut fibras, aut vasa, aut aliud quid. Jam verò Connexionis istiusmodi defectum, indemnis & prompta secundinarum in Statu Naturali Partus satis probat. Aut minimo de Membranis, utpote anteà in Ovario Muliebri jam rudimentum suum nactis, concedi poterit, eodem jure Matri, quo Fœtui debere.

§. 14. Quibus ita præmissis, si quæratur, an; quatenus & per quas Partes fiat *Sanguinis Circulatio* in Fœtu; universum negocium hoc (totum quantum *Hydraulicum*) accuratò si quisquam alius in Compendium redegit *Paulus Marqu. Slegelius*, in pereruditâ suâ, quàm scrupulosis Riolani disputationibus opposuit, de *Sanguinis*

Motu Commentatione (*cap. 12. pag. 101.*) solidè ostendens, quomodo Sanguis, ex Corpusculo Fœtûs, per Arterias Umbilicales ad Placentam Uteri, indeque retrò per Venam Umbilicalem rursus ad Embryonem, per Epar, altiusque ad Cor, intactis Pulmonibus, per Vasa Cordis unita, & consequenter per totum Corpus circuletur.

§. 15. Quo ipso nunc tandem Scrutinium Partium *Solidarum* planè concludimus, pergendo ad *Fluidas*, de quibus magna itidem compingi queant Volumina. Sed Calamus in scribendo, Animusque in Consideratione tot objectorum hucusque enumeratorum defatigatus, ad Terminalia Scripti properans, Compendiorum Compendium quoddam sibi eligit; & non tam *Humorum*, ut ordo equidem posceret, *Spirituumq́;* species primario est spectaturus; quàm incidenter saltem sparsim, atque tumultuario, postquam ipsos potius formales aut speciales agendi Modos, qui contingant in Machinâ Corporis nostri *Hydraulico-Pneumaticâ*, primariò sumus scrutaturi, cum indifferentiâ ad Fluores, sive hi, sive alii, in Partibus his aut aliis agitentur.

Caput XII.

§. 1. *Fluorum in Humores & Spiritus distinctio.*
§. 2. *Hydraulico-pneumatica utrorumque huc illucve agendorum Organa.*
§. 3. (I) Mandantia. *Eaque quatenus sic dicta?*
§. 4. *Carnes & Viscera radicalium Tincturarum Fontes.*
§. 5. *Cerebrum, Officina Spirituum Undulantium.*
§. 6 *Fauces, Glandulæ Salivares, Nares,*
§. 7. *Mammæ, Pulmones, Cor,*

§. 8.

§. 8. *Inteſtina, Pancreas, Cyſtis, Hepar*; ſuorum *etiam quaque* Fluorum *Promptuaria*.

§. 9. Salina Urinalis *è Renibus promanans*.

§. 1.

INſuper itaque habito, quod *Fluores*, â Nobis boni Ordinis ergo, aliàs ſic dirimuntur, ut dicamus, univerſim eſſe vel Labiles, (aut palpabiles) *Humores!* vel Difflabiles (aut impalpabiles) *Spiritus*. Et Humorum quidem alios Retinendos, tam Radicales, (Humores Oculorum, Fermentaque Topica Partium) quàm Adventitios, partim Inchoativum (Chylum) partim Perfectivum (Sanguinem) aliosque ſuo tempore Excernendos, partim Nobiles, (Lac & ſemen) partim Ignobiles aut Excrementitios tum Utiles (Bilem, Pituitam, ſerum) tum Inutiles (urinam, Sudorem,) cum Humoribus Excrementitiis, impropriè ſic dictis, utpote Conſiſtentiam habentibus Humore firmiorem, ſed fluendo tamen natis; Fœcibus Alvi puta, Lemis Oculorum, Cerumine Aurium Unctuoſoque ac fœtido Congelamine in Spaciis Digitorum Pedis.

§. 2. Inſuper, inquam, habitis his; Machinam ipſam ſpirantem *Hydraulicam* hîc potiùs ſumus expenſuri, diſtinctim conſiderando, *Quos aut Quales Motus ſuſtineant*, in Partibus ad Actionem Hydraulico-Pneumaticam comparatis. Quarum aliæ nobis *Mandantes* vocantur, *Tranſmittentes* aliæ, atque porrò *Recipientes* aut *Effundentes*, ac Receptionem, Effuſionemvè *Modificantes* alii.

§. 3. At de *Mandantibus* principio notandum, adeò rigidè à Nobis hoc titulo nullam totius Corporis

Partem haberi, quin certo reſpectu eadem vocari posſit *Recipiens*. Ut enim extra Hominem Fontes Aquæ vivæ in Montanis perpetuâ Scaturigine ſe non poſſent commendare, niſi ipſis per Spiracula terræ undecunque aliquid novi laticis, ab incubitu Atmoſphæræ (per roridas Noctes præſertim) accederet: ſic in Homine Fontes Humorum hinc inde citò areſcerent, niſi perpetim affluxu novi Laticis ſecundarentur. Quatenus tamen Fluores alicubi ex aliis partibus adducti, in novo vel ſuccedaneo ſuo diverticulo, ex peculiari diſpoſitione ejus, vel novam Tincturam aliquam, vel puritatem majorem, vel qualemcunque aliam Attributi ſupervenientis ſpeciem aut Modum acquirunt ad ulteriora propagandum; ex eo Diverticula iſtiusmodi aut Partes exiſtimamus, *Mandantium* titulo præcipuè contineri.

§. 4. Et exiſtant proinde *Fontes Fluorum* in Nobis, maximè memorabiles hi: Unaquælibet *Caro*, aut *Viſcus* Fermento ſuo Topico turget, vel radicali Humore aut Tincturâ balſamicâ. Cujusmodi Tincturas in Corde convenire, ebullire ibidem, & Ebullitione ſuâ Reſpirationem efficere, Ann. 1669. in quâdam ad Bartholinum Epiſtolâ ſtatuit *Burrhus*; ſed (quantum ad ſimultaneum iſtum Concurſum) non ſine Causâ eodem Anno modeſtè impugnatus à *Dn. Præſide, in Conſideratione Phyſiologicâ Epiſtolarum Burrhi* §. 7. uſque ad 19.

§. 5. In ſpecie verò *Cerebrum* ejusque Ventriculos, ut jam ſupra (*cap. 8. §. 5*) monui, cave exiſtimes Fonticulum deſtillantis in Fauces *Pituitæ*. Multùm nobiliori ſiquidem Latici, imò Auræ prorſus ſubtili ac impalpabili *Spirituum*, per medullares Funiculorum ſenſo-

rio-

rio-motoriorum Villos aut Tubulos, propellendæ, Viscus adeò tenerum impendi; intraque Saponarios Gyros & Anfractus ejus, oculo magis, quàm calamo notabiles, modò dictos Spiritus Cerebrales in *Undulationes quasdam reciprocas*, priusquam ad Nervos deriventur, cieri; cum magnâ Veri specie nos rectiùs informabunt, (si Cerebrum Novaculâ transversim aut oblique secueris,) subtilissima Puncta Rubra, dissectarum Carotidum Vestigia.

§. 6. Extra Cerebrum verò, in Capite quas Partes Fluorum largitrices prætereà invenias, hæ circiter se sistent: *Fauces*, duplici Infundibulo instructæ, per quarum alterum (Gulam) *Potulentum quidvis* deglutiendo intruditur; qer alterum (Laryngem) *Aura*, in gratiam Loquelæ ac Respirationis, propriâ mole irruit. *Glandulæ* palatinæ & maxillares, ex quibus *serum salivare* scaturit. Et *Nasus*, circa Apicem *Muco tenui* tanquam Rostrum Alembici, Phlegmate deorsum acto stillans.

§. 7. In Thorace, Fontes Fluidorum præcipui, hi sunt: Foris quidem, in Fœminis justæ ætatis ac statûs, Glandulosa *Mammarum* Textura, *Lactis* Infantem nutrituri, promptuarium. Intus verò *Pulmones*, quibus bonam partem *Sanguinis* spirituascentis debet Cor: & *Cor* ipsum vivacem Corporis nostri Purpuram ad omnem Partium reliquorum familiam, uberrimè diffundens.

§. 8. Tum ne desit Animo, unde sitim plura sciendi sensim fallat, ecce, quas non *Abdomen* prætereà rimandas exhibet Fluorum Scaturigines! si videlicet tum *Intestina* spectes, *Chyli* recens-facti, ad Corpus reliquum

diri-

diribitores: tum *Pancreas*, saliviforme *Fermentum* in Concavum Duodeni sudans: tum *Cystim Felleam*, quæ in eundem districtum amarulente se exonerat: *Heparque* ipsum; quod nisi *Bilem* priùs per proprium Parenchyma intra Loborum suorum Convalles transcolaret, Cystis dicta, quod Intestinis tribueret, non haberet.

§. 9. Præcipuèque *Renes* Natura destinavit, ad emulgendum *Lixivum Humorem* ex Sanguine, vel Ramenta Salina (quadantenus & biliosa) Partium, cum Sanguine refluo ex his prolicienda, & constituendas dein, cum Humore aquoso, in Societatem assumto, salinas portatiles: quæ ex Pelvi Renum dein, tanquam per Infundibulum emissæ, peculiare nomen *Urinæ* accipiunt, quam *Actuarius* jam longè idem Halotechnicum Naturæ negocium intuitus, *Colaturam Sanguinis* vocavit.

CAPUT XIII.

§. 1. (II) Transmittentia *an eadem cum Effundentibus*?
§. 2. *Utrorumque Constructio Tubularis.*
§. 3. *Fluorum transmissioni aptorum, duo summa Genera.*
§. 4. *Viæ* Fluorum Universalium; Halitûs *&* Sudoris.
§. 5. *Viæ* Sanguinis, *in Statuâ Humanâ Circulatoriâ per artem ostensæ.*
§. 6. *Synopsis Argumentorum pro Sanguine peripatetico.*
§. 7. Chyli *transitus, partim notus hucusque,*
§. 8. *Partim ad Mammas & Fœtum adhuc obscurus.*
§. 9. Spirituum *tanquam Ignium, per Nervos, tanquam Venas subterraneas, Viæ.*
§. 10. *Eorundem Subtilitas & Crasis, Sanguinis Crasin sequens.*
§. 11. *Spirituum diversa Nomina, unde nata.*
§. 12. *Eorundem per Villos Efferentes & Referentes Circulatio.*
§. 13. Lymphæ *ductus*:

§. 14.

§. 1.

QVin recta pergimus, quæque sit *Fluorum* per *Partes Transmittentes conditio*, considerandum rati, hæc duo, quæ præmoneantur, sub initium habemus. *Unum* est, quod quemadmodum Transmissio non omnis à Parte ad Partem in Corpore nostro fit; sed aliqui Fluores, extremæ ad ipsum ambitum Corporis Ejectioni destinantur, unde non ampliùs redeant; cujus generis sunt Lacrymæ, Sudor, Mucus Narium, Salivæ pars, Alvi ejectanea, Urina, & Halitus, Transpiratione in Auram abeuntes: sic ad innuendos speciales hujusmodi Transmissionum modos, consentaneum videatur, substituere *Effundentium* Titulum, additâ hâc restrictione: Quod omnis Pars Effundens equidem sit Transmittens; sed non reciprocè.

§. 2. *Alterum est*, quod Transmittentia Organa, (sicut de Mandantibus supra monuimus) diverso re-

ſpectu nunc Mandantium etiam, nunc Recipientium titulo venire poſſint, ob Fluorum plerorumque in Corpore noſtro peridromum continuam; quâ videlicet, quantum Organo alicui ab aliquâ parte decedit, compenſetur ab alterâ, nec Sanguinis ſolùm Circulationem in Vaſis ſuis, ſed ſimilem ſuccorum Motum, alteribi itidem deprehendere ſit: quia tamen videmus, Transmiſſiones Fluorum omnes, quæ fiunt non foras ad ambitum Corporis, ſed intrinſecè à parte unâ ejusdem ad alteram, per interpoſitum Tubulum, vel partem in longum excavatam, tanquam Humorum trajectui convenientisſimam fieri; unde Aquæ-ductus ſuos didicère Hydraulici: ideoque præſtat, cujuscunque etiam generis partes, modò tubulariter à Naturâ factas, *Transmittentium*, quàm Mandantium, aut ullo alio Titulo efferre.

§. 3. Et *Fluores*, Transmiſſioni aptos, placet diſtinguere in *Univerſales*, ſeu per totum Corpus, ejusve regiones præcipuas, tendentes; aut ad ejus ambitum delatos: & *particulares*, vel ad ſpecialem aliquam ſedem hujus vel illius Organi reſtrictas. Ex quibus Prioris generis ſunt, *Halitus* perſpirabiles, *Sudor*, *Sanguis*, *Chylus*, *Succus Nerveus*, *Lympha*: Poſterioris generis alii, ubi priùs de iſtis paucula inſperſimus, ſuo quoque ordine ſtrictim adducendi.

§. 4. *Halituum Viæ*, Pori Cutanei ſunt, tantum eorum naturaliter intra diem ac noctem per inſenſibilem Ventilationem transmittentes, atque pondus eorum haud eſt, quæ cæteroquin ſpacio Temporis vel majore, per Evacuationes ſenſibiles egeruntur; ex

obſer-

observatione multijugâ *Sanctorii*. Ex quo Calorum impetus, exhalibilem fluorem agitantium, haud obiter cognoscitur. Quod si Vasa *tenui sero* abundent, datâ occasione similis impetûs, visibilis quoque *Sudor* succedit, quem jam olim *Hippocrates* convenienter dixit, *ex Poris effluere velut per Aqua-Ductus*.

§. 5. *Sanguini* verò imprimis, unico quasi, aut maximè regio Vitæ nostræ Thesauro, à Parte ad Partem per Universum Corpus in Orbem traducendo, quæ quæso, quotnam, & quanta non molitum est, inimitabile penè dixerim, Naturæ Ingenium! nisi quod novissimis Annis, in Imperiali Naturæ Curiosorum Societate aliquis (*Ingeniosissimus D. Samuel Reiselius*) ausus est *Statuam Circulatoriam Humanam* construere, quâ & Pulsum & Respirationem, & Sanguinis Motum Circulatorium, artificiosè omnia sic fabrefacta, Ventoque & Liquoribus congruis perfusa, atque naturaliter eadem contingunt in Homine, ostendit: delineatâ fideliter, & ex Principiis Physico - Pneumatico - Hydrostaticis perdoctè declaratâ, *in Ephemerid. Curios. Ann. IX. observ. 1.*

§. 6. Neque opus habemus, in plenâ tandem Veritatis meridie, operoso Argumentorum apparatu, ad defendendum sanguinem peripateticum, contra incredulos, si qui amplius sint: utut circa Anastomoseon rationes unum aut alterum Dubium, tanquam Nodus, nondum plenè dissolutus, forsan obhæreat. Qui enim comparatione ritè factâ Sanguinis, quantum ejus intra Horam tantùm per Cor in rectè valente, justæque Ætatis Homine, trajiciatur, ad Quantitatem Sanguinis, quæ inesse præsumitur in toto Corpore;

observaverit deiti, quosdam sine Cessatione Pulsûs; per 3.4. aut plures dies Jejunium perferre: Qui rectè intelligit, cur *Galenus* dixerit, quod Frigidum Venas rumpat: Qui Ligaturas utriusque generis Ductuum Hæmatogogorum, in Corpore vivo factas observavit; Qui Nodos & Varices Venæ tumentis, ante sectionem ejusdem, Oculis minimè brutis unquam contuitus est. Qui Valvularum in Venis & Arteriis situm contrarium, ex ullâ Anatome cognovit: Qui liquorum in Venam Arteriamve sectam Infusiones, nisi Medicè semper, Hydraulicè tamen, in Homine aut Bruto, successisse unquam vel vidit ipse, vel ab aliis, fide non indignis, inaudiit: Qui Medicamentorum spirituosorum ritè considerat citò interdum penetrantem vim: Qui ex Anatome non longè protractam Vulneris venenati, quod sibi Cleopatra procuraverat, efficaciam explicare novit: aut in Statu Morbido demum, Qui unquam observavit, Medicamentis Mercurialibus foris adhibitis, non tantùm Salivationem cieri in Faucibus, sed ritè eâdem procedente, Nummum Aureum eodem modo dealbari, atque in Officinâ Aurifabri, Hydrargyrus Regi Metallico affrictus, impallescere eundem facit; ut totius quasi nunc Orbis suffragia sileam; & tamen manifestissimæ rem Veritatis adhuc vocare velit in Dubium: næ talismodi Autor ipse tandem existet, ut commiserationem aliorum certiùs, quàm Odium aut indignatiunculam eorum lucraturus.

§. 7. Circa *Chyli* Vias, vel *Vasa Lactea*, hoc occurrit consideratione dignum; quàm expeditum videlicet

licet hodiè & extra ampliorem Dubitationis aleam positum, post *Asellium*, *Pecquetum*, ac *Bartholinum*, tandem videtur Candidissimi Humoris iter; tam in obscuro contra adhuc positum illud esse, si transitum ejus ex Thoracis interioribus ad Mammas, & Graviditatis tempore, Motum ejusdem extra Uteri Concavum, ad Concavum Membranarum Fœtus, pro ejus Nutritione per Os, eò confluentem consideres.

§. 8. Nam quamvis priori difficultati, (de ductibus *Chyli in Mammas*) utcunque tandem obviam iri possit per ea, quæ non sine magnâ Verisimilitudinis specie affert doctissimus *Willisius*(*d. Febrib. sub init. cap.* 16. quod est de Febribus Puerperarum) Spiraculorum veruntamen contiguitas, quæ ultimis *Vasorum Lactantium uterinorum* tubulis, cum convexo aut concavo Membranarum Fœtus in Partu naturali promtè affatim abscedentium, intercedit, vix feliciter aut sat, in hunc usq; diem, videtur ab Anatomicis, etiam maximè Lynceis, ostensa.

§. 9. Cæterùm, quod in Ventre Terræ sunt ignes, in Æstuariis suis & pyragogis canalibus, à *Kirchero*, (lib. 4. *subt. sect.* 1. *cap.* 5.) utcunque adumbratis, agitati, vegetationem præstantes Rebus, in superficie Terræ crescentibus; id sunt *Spiritus Nervei* in Homine, ex Cerebro, & Medullis contiguis, in nullas non ditiones reliqui Corporis, imperscrutabili *ramificationum Nervearum* subtilitate & numero, distributi.

§. 10. Aut, si Lumina velis dicere, res eodem redit. Nihil enim in toto Corpore nostro, Auris istis uti subtilius, purius, ac mobile magis, sic nec penetrantius

habetur. Pro crasi diversa tamen Sanguinis, ex quo tanquam hyle suâ proximâ, intra Cerebri poros ac Strias primum deducuntur, ipsis quoque in hoc Homine aliam, ac in altero aliam, crasin habentibus, ratione Salis omnium fugacissimi, aut Lymphæ purissimæ, quæ iisdem plus minùs implicantur, crasin diversam competere, non indiget probatu.

§. 11. Unde diversa Fluorum eorum nomina orta sunt, quæ facilè inter se conciliari possunt. Ratione enim propriæ texturæ suæ aut consistentiæ, vocantur simpliciter *Spiritus*: Ratione Natalium, *Spiritus Cerebrales*, aut *Medullares*, ratione Ductuum; *Succi Nervei*, ratione officii, *Spiritus Animales aut Genitales*, à Vitalibus non tam genere, quàm gradualiter distincti (propriè enim Spiritus non nisi unius generis, omnes totius Corporis Partes actuat:) ratione Puritatis ac Mobilitatis, *Lumina*, & ratione Copulæ obhærentis, nunc *salia balsamica* Volatilia, nunc *Lymphæ volatiles*.

§. 12. Quorum Ductus, vel Nervos membranosis productionibus vestitos, disputationis *Dn. Præses* privatim in *Villos medullares Efferentes & Referentes* dirimit, & Circulationem Spirituum in iis etiam aliquam, vel ideò præsumit, quod aliàs non videat, quomodo Anatomici, ad constituendam veram aliquam *Nervorum Motoriorum à Sensoriis* differentiam, ex difficultatibus in hunc usque diem non plenè enodatis, extricare se valeant. Sed nunc quidem his immorari prohibemur, per Temporis penuriam.

§. 13. Et multa quidem etiam dici possent de ultimâ specie Fluorum Universalium, *Lymphâ*, ejusque

Ducti-

Ductibus, quando verè, & à quo inventi ſint. Sed præſtat ſepultam relinquere hanc controverſiam; & hoc potius dicere : Poſtquam doctrina de Vaſis Lymphaticis per Obſervationes ulteriores altius ſemper, altiusque evecta eſt, plures quoque identidem, pluresque, illorum, ſemilunaribus Valvulis inſtructorum, Ramos & Ramorum Ramulos, fuiſſe detectos; & nil denique reſtitiſſe, quàm ut eorundem, cum Glandulis Conglobatis annexis, totius Corporis Syſtema aliquod ex Corpore animali extractum, poneretur ob oculos.

§ 14. Quod tentatum haud infeliciter ab exercitatisſimo in talibus *Joh. Henrico Pauli* (*Anat. Bilſ. cap. 6. p. 71.*) conſtat. *Schvvammerdamio* item & *Stenone*; juxta Obſervationes, in *Actis Hafn:* (*Vol. 2. obſerv. 97. p. 240.*) expreſſas, cum Iconibus additis: ex quibus varietas Inſertionum, & miræ Ramificationes, Concurſus cum Venâ Cavâ, Truncus Thoracicus, (Chylo communis) Annuli, (per quos utplurimum Nervi vel Vaſa alia transeunt.) Anaſtomoſes, tum ante omnia, ipſæ origines quædam ex Glandulis conglobatis, pereleganter patent.

§. 15. *Organa transmittendis Humoribus particularibus* deſtinata triplicia facimus, pro triplicitate ſedis, Capitis putà, Thoracis, ac Ventris.

§. 16. In Capitis parte eâ, quæ *Alvearium*, vel Cavitas Auris Externæ dicitur juxta Meatum Auditorium, ubi *Cerumina* colliguntur; Colluviem iſtam amarulentam & flavam quotidiè experimur; & Origines quoque Glandulares haut vanè præſumimus : ſed de ductibus intermediis, vel viis transmiſſionum, niſi in-

ſigni-

ſigniter fallimur, Anatomicæ Rei Autores conſtanter ſilent.

§. 17. Posſitque alicui ſubnaſci ſuſpicio, annon aversam Oculi partem itidem ſtipent ſubtiliſſimi quidam *Ductus*, quibus *Aqueus Oculi Humor*, quantum incrementi indies capit, ab Arteriolis Uveæ, tantum per Vaſcula iſtiusmodi iterum depleatur. Nam certè difficultatem implicat, Humorem Aqueum, toto Vitæ tempore, eadem puritate, imputrem, immotum, nullâque ſui parte vel auctum vel imminutum ſemper perſtare, cum vel intra breviculum tempus, dictus Humor, Homini aut Bruto, per Oculi Vulnus elapſus, ipsâ natura magis, quàm *Burrhi Artificio* facilè reſtituatur. Quod non fieret, niſi Vaſcula, Lympham Oculis inferentia, perpetim hiarent. Sed & hanc Opinionem privato *Dn. Præſidis* Stochasmo debeo, multa adhuc in Anatomicis invenienda rato.

§. 18. Atque foris interim *Aquæ Ductus*, Oculis *Larcymas* ſuppeditantes, à Clar. *Meibomio* detectos, jam ſupra (*Cap. 7. §. 7.*) innuimus.

§. 19. In Thorace *Infundibulum* miræ ſtructuræ invenies quemadmodum transmittendis deſuper *Potu*, *Salivâ*, (quadantenus etiam *Aëre*) ſic ſurſum *Flatu*, aut *humoribus nidoroſis* inſerviens, ſic supernè ac infernè amplius, inque medio teres ac ſtrictius: ut Infundibulum duplex, ex directo inverſoque compoſitum (niſi heliciformes Muſcularium fibrarum continuæ ſeries aliud doceant) videri poſſit.

§. 20. Inque Abdomine hi Fluorum Ductus præcipuè occurrunt. Pancreaticus, *Salivare Plegma*, &

Cho-

Cholidochus, alcalinum *Bilis* Laticem, ad Duodenum transferens. Ureteres, *Urinæ* materiam, Veſicæ inferentes; Urethra, *Semini* in Coitu, & *Urinæ* jam dictæ in Mictu, tranſitum concedens: Vaſaque *ſemen* primum ex Teſticulis in Veſiculas σπερματοφόρους deferentia.

§. 21. Quantumvis ſpes eſt, fore, ut à *Laudato Dn. Præſide* Diſſertatio olim prodeat, in quâ Rationum Numero haud exiguo, earumque haut levium, probaturus ſit, præter Ureteres, alios inſuper, (nondum detectos) ductus eſſe, quibus Urina omnium breviſſimè ex Inteſtinis, intactis Renibus, & citra ullas Chyli & Sanguinis ambages interpoſitas, transferatur.

§. 22. Quibus tantisper reſervatis in craſtinum, jam clarius capio, quod ipſe forſan hoc ſenſu non percepit *Petrus à Caſtro*, *in Imbre Aureo* (*cent. 4. Aphor. 6.*) ſic ſcribens: *Ut Copioſa Mictio exiguam dejectionem facit: ita Copioſa dejectio maximè aquoſa, facit exiguam Mictionem.*

CAPUT XIV.

§. 1. (*III.*) Recipientia; *nunc Stagna*, *nunc Caſtella dicta.*
§. 2. *Humor in Receptaculo ſuo quieſcere creditus, minimò quoad Particulas movetur.*
§. 3. *Cerebrum* Spirituum *Receptaculum.*
§. 4. *Oculi* Humore Aqueo, Vitreoque *turgidi.*
§. 5. *Pericardium* Aqua *plenum.*
§. 6. *Ventriculus*, *Communis* Potulentorum *Receptor.*
§. 7. *Inteſtina, Alveus communis Chyli, Bilis, Ductus pancreatici, Pituitæ, Flatuum &c.*
§. 8. *Reliquæ Ventris Partes, Receptacula Chyli, Bilis, Urinæ, Seminis &c. ſuſceptrices.*
§. 9. (*IV.*) Modificantia, *per Organa triplicis generis.*

§. 1.

ULteriùs: in recensendis *Fluorum Receptaculis* esse poterimus aliquantùm breviores. Quæ, si cum Naturâ extra Hominem positâ conferas, *Stagni*, si cum Machinamentis Hydraulicis, ex Homine transsumtis, *Castelli* titulo poterunt venire.

§. 2. Notandaque simul hic erit Regula, ad Medicinæ Partem Pathologicam magis, quàm Physiologicam spectans: *Omnis Humor* (extra Vasa sua translatus) *quiescens aut stagnans acescit*, (aut putrescit.) Itaque Receptacula hic intelligentur non alia, quàm Fluoribus ibi contentis maximè congrua; & Fluores ipsi non torpescentes aut segnes, sed translatione sui ad alias partes continua illustres, aut minimùm intestino Motu Particularum (etiam in Loco Quietis ad tempus) identidem agitati.

§. 3. Quibus ita præstructis, facilè patimur, ut aliquis *Claustra* Fluorum in *Capite* quæsiturus, in ventriculis Cerebri tenuissimam sanguinis recens adducti partem, vel *Spiritus*, undulatim eo compulsos, detineri ad tempus statuat; modò ad incomtam de *Pituita*, tanquam ibi collectâ, Veterum sententiam, jam bis in antecedentibus explosam, volens ac sciens, tanquam à fruge ad glandes, non relabatur.

§. 4.

§. 4. Oculos non *Humoribus* solùm limpidissimis, *Vitreo, Aqueoque* Receptaculum prorsus excellens concedere, sed Vorticibus insuper *Substantiæ Lucidæ*, augustam isthanc Cameram Obscuram superiùs (*cap.7.* §.*1.*) dictam, vivaciter illustrantis; exemplis partim Tiberii & aliorum constat, de quibus *Aguilonius* (*lib. 1. Opt. Prop. 13. pag. 16. B.*) videri potest; partim Ægrorum quamplurium, Marmarygas Hippocraticas, aut Fulgurationes Oculorum quasvis alias patientium, de quibus Eruditorum ipsa Lux aut primæ magnitudinis Stella, *Th. Bartholinus* (*d. Luce Anim. lib. 1. cap. 6.*) sufficienter egit.

§. 5. In Thorace Cor, totius *Sanguinis*, ex partibus reflui; illique circumtensa Pericardialis Membrana, *Humoris serosi*, vel *Lymphæ* fluctuantis, ipsumque, ne ex motu continuo arescat, perpetim irrigantis, Cisterna ac Receptaculum. Istaque non in alium, quàm bonum finem.

§. 6. Ast in Ventre *Ventriculus*, ó bonus ille noster Ventriculus! fideliter toti licet Spiranti Machinæ humanæ prospiciens, quid non tandem cogitur á Gulonibus sibi ingeri; non Partem dignè censentibus, supra quàm dici potest, curiosè constructam à Naturâ maximè providâ: sed Utrem vel Bursam picatam, nullis *Potulentorum* oceanis eluendam. Ut justas ob id querelas ad Orbem Eruditum novissimis annis detulerit, interprete *Bernhard. Swalve*.

§. 7. Intestina, & *Chyli* ex Ventriculo per vices delapsi, & *Bilis*, cum *Salivâ Pancreaticâ* confluentis, & *Pituitæ*, ex araneo glandillularum Systemate deductæ, & *Flatuum*, & *Merdæ*, quotidie prostans quæ-

dam Apotheca (& penè etiam dixerim) Pandoræ Theca sunt.

§. 8. Reliqua Fluorum, in Ventre, Receptacula sunt, *Capsulæ Chylifera* Pecquetianæ, quibus tamen Lympham etiam puriorem, certo tempore detineri *Chyli* loco, dissectiones docuerunt: Cystis, in Epatis concavo *Bilem*; Renes succenturiati, *Humorem Fermentalem*; Vesica, (aliquibus Mare Hominis Occidentale dicta,) *Urinam*; Vesiculæ seminales intestiniformes tenerrimæ, *semen*; utque sub exitum scripti, ad primordia nostra redeamus, Membranæ denique Fœtum involventes, *Colliquamenti Chylosi*, inter Vesicam & Anum, tenuibus sepimentis interstincti, Bursæ quædam pendulæ & Receptacula sunt. QUID ERGO ADEO SUPERBIMUS, qui inter Urinas & Stercora nati sumus?

§. 9. Supersunt *Modificantia*, seu Organa hydraulica Corporis nostri talia, quæ Natura provida apponere illis partibus ratum censuit, ne Humores, in suo ad illas, vel per illas Motu, vel segniùs, fluentes, planè languescerent; vel ad angustias redacti, ob spacii Stricturam regurgitarent; vel intempestivè atquè nolentibus elaberentur.

§.10. *Primi generis* sunt *Valvulæ Venarum*, Sanguinem languidiùs refluum, utpote bonâ parte Spirituum, in Nutritionum ergastulis, exhaustum quadantenus, ut ad Valvularum dorsa accumulatus, tanquam ad cataractas, præceps detur ulteriùs, vires eundi novas captet.

§. 11. Id quod ex perspectu *Auricularum Cordis* evadit liquidius, quas haud injuriâ Valvularum in Corpore Matres vel Avias possimus dicere: pro Haustris certè

certè vel Antliis, nemo non lubens nobiscum est facilè habiturus.

§. 12. *Posterioris generis* sunt Loca *Anastomoseon*: quantumvis ad idem Regurgitationis periculum declinandum, in amplioribus etiam Ramis, imò Truncis Vasorum majoribus, mediocribus, maximis, *Valvulæ* tam Venarum, quàm Arteriarum, & Lacteo-Lymphaticorum, haut parum ad inhibendam Regurgitationem contribuant.

§. 13. Tertiique Generis sunt *Sphincteres*, tanquam Verticilli vel Epistomia: Oris, Oesophagi, Ani, præcipuè Vesicæ. Ultra cujus sedem in Maribus, Penis præfixus est, tam Ornamenti (in Hydraulicam transsumti) loco, quàm ut suo loco ac Tempore inserviat Geneanthropiæ. Quæ tota est Mirandorum plena, longèque Facundiam humanam superat,

§. 14. Fruatur *Lector benevolus* interim his pauculis, & mecum ex iis fateatur, esse *Hominem Microcosmum*, non ut sibi allegoricè ipsum imaginati post *Paracelsum* sunt, *Fluddius*, *Tidicæus*, (*Schröderus* etiam ex parte) & *Rosæcruciani*, sed *Microcosmum Scibilium*, Mathematicè-notatum omni majorem Eloquio, imò, si vel seculum in scrutinio ejus teramus, omni nostrâ semper futurum Admiratione superiorem; & Macrocosmum rectè vocandum verè Archetypum omnis quasi Humanæ scientiæ, non fictum aut pictum, sed palpabilem & verum.

§. 15. Minimò certus sum, si ex pauculis & leviculis illis saltem, quæ pro exiguo Ingenii Modulo protuli, Comparationis instituendæ occasionem sibi sumere velit, ATHEORUM totius Mundi vel ingeniosissimus,

 for-

fortuito Atomorum Concursui Naturali quævis tribuens, inter Naturæ à tot Seculis constantiam, & Causarum, Texturas Corporum concretilium, in Rudimentis suis primordialibus, facilè turbaturarum, inque Schema informe identidem redacturarum potentiam, & varietatem nisi Digitus DEI subesset, qui Speciebus servandis quam potentissimè clam intercurrit; certo certior, inquam sum, si ex Polyphemis ATHEORUM vel maximus rite isthæc consideret, & Hominem nobiscum in Homine quærere non detrectet; ultrô conversum iri in aliud genus Hominis. Id quod tandem, quantum potui, AD GLORIAM DEI

SIT DICTUM SATIS.

* * *

CRUSI, quum fieres primum mihi notus, amice,
Mox tangebatur pectus amore Tui.
Scilicet ex facie probitatis signa micabant,
Dona neque ingenii dissimulabat ea.
Nec tua decepit me Frons: sed postea abunde
Prodidit ingenium se probitasque tua.
Nunc, mage quo pateat tua Virtus, scande cathedram.
Fiet id (en dextram!) non sine laude tua.

Juvenem
πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, *Amicum suavissimum & ex animo dilectum de nobilissimo argumento publice disputaturum, paucis istis lineolis cohonestare voluit*

CHRISTIANUS Kortholt/
S. Th. D. & Prof. Prim.

Hu-

Humana filo quando pendent omnia,
Sumusque νευρόσπαστα, quæ levis furor
Vagusque pellit huc & illuc impetus,
Quid Tu catenis illigas nos aureis?
Non ista, CRUSI, vivimus nunc secula.
Nulli aureis trahunt catenis nos Joves;
Nos plumbeos trahemus aureis Joves.
Te, si æquus aureusque amarit Jupiter,
Suoque Phœbus auro & ore affulserit,
Nec abnuat barbâ Æsculapius aureâ,
Vinclis ligabunt aureis, adamantinis,
Ut CRUSIUS sit intus, extus aureus.

D. G. MORHOFIUS.

PRo quâ nunc pugnas magno moderante Magistro,
AUREA condecoret Colla CATENA tua.

Nobilissimo & ad præclara quæq;
adspiranti
Dn. AUTORI ac RESPONDENTI
LMq; scrib.

Henr. Opitius,
Hebr. & Orient. Lingg. Prof. Ordin.

SCAZON.

Nonnullus omni in arte, nullus in tota est,
Quam nullus unam non tenere debebat.
Hic colligit partes, catena quas poscit,
Et has & illas, nec tamen catenatos

Nexus

Nexus parare nititur, sed incassum
Errore mens fraudatur ægra confuso.
Non omnia omnes possumus: nec aurata
Cui Mercuri catena de labris pendet,
Artes Apollo cæteras dedit cunctas;
Quanquam interest tentasse plurimas usu,
Aurum absque gemmis ne tenore sordescat.
Dilecte CRUSI, cura corque Musarum,
Sentire quid de te pius scit affectus?
Te tot per annos Æsculapii proles
Dixere fratrem strenuum: sub adventum
Titanis ipsa te Soror relinquebat,
Nec non redux, te rursus osculatura,
Gaudens stupebat omnibus sacrum Musis.
Quæ sæpe compellavit anxium pectus:
Quid distrahi iuvat, quæ non alunt, multis?
Quin multus esto sola in arte commissâ,
Ne regna sectans longa patriam ignores.
Venere plures de locis Britannorum,
Vel si quid hæc ætas remotius novit,
Terrasque late dissitas vagi & pulchras
Videre, pratis ora, corda pascentes:
Ast ecce! quando partam opem reversorum,
Natalis aura quæreret, tremiscebant,
Velut minuta navis in mari magno.
Sic illa: verùm ô Phœbe, perge maturans
Cursum tuum, & timere vana germanam
Nunc edoce, nunc plaude, nunc eam irride.
Matheseos præclara scita non tantum
Medentium oblectare, ut omnium, sensus,

Sed

Sed invidendam corporum secandorum
Peritiam conflare, CRUSIUS monstrat.
Sic ille segnem interrogat suo exemplo :
In singulis qui nullus, ullus in toto est?
O macte, Amice! præmiorum hic ingressus :
Tali catena CRUSIUS coronatur.

Amico ob pietatem cum insigni eruditione conjunctam singulariter caro & honorato scrib.

Joachim Justus Breithaupt,
Homilet. Prof. P.

NAch den heidnischen Getichten/
Wil uns * der Poet berichten/
Von dem Abgott Jupiter/
Daß er soll vom Himmel her
Eine Güldne Kette halten/
Und durchgehends damit schalten/
Uber alles dergestalt/
Daß Er habe die gewalt/
Ein gelencke zu bewegen/
Denn die andre fort sich regen/
Nach der Ordnung. Diese mähr
Deutet/ daß von oben her/
An der ersten Ursach hangen
All' Ursachen/ und empfangen

* *Homerus* lib. 16. Iliad. quem *Chemnitius* Tit. LL. de Creatione p. 130. sic explicat. Homerus fingit Jovem tenere Catenam, in manu, ex quâ tota rerum Universitas certis quasi ansulis causarum connexa dependeat, & Jupiter habeat in suo arbitrio primum motum istius Catenæ. Postquam vero mota fuerit, unam ansulam trahi ab altera, sicut est connexio Catenæ,

Dannenhero Krafft / und stärck' /
Zu verrichten ihre Werck'.
Jovis Güldne Kett' erkläret /
Der herr **Crusius** und lehret /
Daß hierunter abgemahlt /
Wie die Weißheit mannigfalt /
Und die Wissenschafften haben /
Von dem Geber aller Gaben /
Ihren Ursprung in gemein /
Und zu sammen füget seyn /
Wie in Ketten die Gelencken :
Drüber giebt er seyn bedencken /
Und durchwandert früh und spath
Den gelehrten Musen-pfadt /
Biß sein' Arbeit wird gelingen /
Und Ihm zur belohnung bringen /
Güldne Ketten / nnd Geschmück:
Auff ihr **Musen**! wünscht im Glück.

T. Arnkiel, Præpositus
Holsatiæ.

WIe kömt es ? Werthster Freund / traun dieses dacht ich nicht:
GOtt liebet Er und Gold. Kan das beysammen stehen /
Wañ Er von Gottesfurcht uñ güldnẽ Ketten spricht?
Denn wer das erste liebt / muß nicht auffs andre sehen.
Doch / es hat keine Noth; hier kan wohl beydes seyn /
GOtt bleibet allezeit der zweck in seinen Sachen /
So kan die güldne Kett / und alles Goldes Schein
Ihm nicht / entgegen stehn. Er will was gutes machen
Drum sucht Er gutes Gold zum besten Werckzeug aus /
Und

Und Gold ist ja das Marck / das Edelste vor allen/
So muß die Güldne Kett/ (ich sag es frey heraus)
Und solcher schöne Glantz auch allen Wohlgefallen.
Das ists; was seine Schrifft / Herr Cruse/ in sich führt.
Sie zeigt ihr lautres Gold / in wohl versuchten Proben/
Der unverdroßne Fleiß hat alles so berührt/
Daß man die Ketten-Art / und Kette selbst muß loben.
Da weist Er/ was bißher die Morgen-Stund gethan/
Wenn alles richtig ist/ und Ketten-weiß verbunden.
GOTT stehe ferner bey und segne seine Bahn/
So wird/ und Er hat schon den Güldnen Lohn gefunden.

Mit diesen geringen Zeilen hat den Herrn Autorem der Güldnen Kette / seinen Hochgeschätzten Freund verehren sollen und wollen

Nicolaus Spranger/Voigtlandus,
S S. Theol. Stud.

Ad Eximium singulari Pietate & egregia Virtute
Nobilissimum nec non Doctissimum
Dn. RESPONDENTEM,
Eruditæ hujus & laudatissimâ industriâ exasciatæ Disputationis AUTOREM, Amicum suum certissimum & suavissimum!

NOn secus ac solidi scrutator pallidus æris,
Altera pars animæ, sectatur dona supremæ
Naturæ in terræ vastæ pœnetralibus imis,
Et mittit calidis quò spectet in ignibus illa,

Explorans, tereti fingatque toreumata cœlo:
Sic Tu; quæ veterum Perfecta reperta Sophorum
Existunt, Oculis avidis, tum mente volutas,
Et nunc sectarum cello de ponte cathedræ
Subjicis, inquirant, instent, dictisque repugnent,
Qui Possint. Libros quanto complexus amore,
Doctorum, hæc dicunt; cui post quoque nectaris instar
Exstabunt commenta novem jucunda Sororum.
Dicitur inde animi fœtus tantique labores
Immerito haud præstans præstanti ex ære Catena:
Tortile per seriem nodis fulgentibus aurum
Ac gemmis totidem vix prodit pectore summo;
Alternos nodos quotque hic ænigmata dicis,
Indoctis, bardisque quibus sine pectore corpus.
Quicquid dixerunt Spartana gente Melampus,
Longævus Japis, Phœbejus, Apolline natus,
Optatus Celsus, Galenus ab arte medendi
Præstans, exagitas, celebras, meliora reponis,
Artis, quam nihili pendunt quam plurima turba,
Usum pernoscis, nec stulto fine coërces.
Dumque omnes facies morbi callere laboras
Grassantis, color omnis abit, succesit ubique
Pallor nocturnis studiis, rigidoque labore.
Invidiosus agon tuus est, certamina summa
Pectore quo condas Cycli septemplicis artes.
Proficiat labor hic, concedant Numina vires,
Assurgent Tibi sic omnes, Te consulet omnis.

Prolixiori animo quam felici calamo faciebat

Tobias Meier, Stralſ. Pomer.
SS. Theol. Cultor.

Adſcen-

Adscendis Cathedram, Jovis *& cum Laude* Catenam
Defendis, Patriæ Spesque Decusque tuæ.
Sat bene! nam curæque catenatique *Labores*
Hâc Luce emergunt: sint rata Fata Tibi.

Pauca hæc Nobiliss. atque Doctissimo Dn. Respondenti Amico suo singulariter dilecto observantiæ ergo scrib.

Lucas Stein,
Med. Stud.

INfucata licet Pietas amplissima merces
Ipsa sibi; reliquis virtutibus aucta frequentis
Conciliet possessori præconia Famæ:
Ni tamen egregiè Musarum castra sequaris,
Effertur Pietas tecum, simul interit omnis
Virtus, obruitur Nomen, post fata quiescis.
Sed cum multiplici nodo connexa Catena
Aurea per seriem fuit enodata labore
Continuo, studioque pari complexa vicissim;
Non fera posteritas, non invidiosa malorum
Ungula conjunctos nexus lacerare valebit:
Quin potiùs vives post funera, Nomen in Orbe
Doctorum toto superabit, Fama superstes
Semper erit, viresque novas acquiret eundo.
Hæc Tibi cum fuerint curæ, suavissime Amice,
Non tantùm Pietas, Virtutum maxima, mentem
Oblectat, jungis Virtutis & Artis amorem
Nobiliore modo, quam secula prisca Sophorum.
Non sapiunt genio vulgaria, sordet ineptus

Diſcendi Veterum mos, ſunt ingrata palato
Talia, quæ quondam celebravit credula Turba.
Scilicet hos ſudor deterruit, optima viſa
Eſt illis via, quæ prono rapit impete pigros.
Sed fallunt; Via cum ſit verè Regia, non quæ
Perficitur citiùs, ſed quæ jucunda locorum
Littora commonſtrans ad portum ducit amœnum.
Hoc ingreſſus iter, magno præeunte Magiſtro
Ac Duce præclaro, ſumma cum laude carinam
Advehis in portum magno ſudore repertum.
Non ſecus ac inhians lucro Mercator ad Urbes
Feſtinat multas, ut emat ſibi pignora mercis
Externæ, quæ lucra ferunt certisſima, curas
Impendit feſſas, nec habens penetralia fixa
In quavis regione, domum ſibi deligit unam,
Quò ferat emta, lucro tradat vendatve repenſo:
Sic Tu, quæ multi didicerunt ſingula, ſummo
Cuncta redemiſti ſtudio, vectigal opimum
Inde Tibi certò ſpondens, quæſtumque profuſum.
Non æſtiva Tibi Lucem ſuccendit opacas
Poſt atræ noctis tenebras aurora, lucerna
Colluſtrans laqueare Tuum prævertit eandem,
Illunesque Tui noctes riſere labores,
Aurea quò poſſent connectere membra Catenæ,
Quæ cyclo cunctas arctè complectitur uno
Doctrinæ ſpecies, medicus quas exigit uſus.
Eſt Medicina Tibi præſtans Diadema Catenæ,
Nodi ſunt Artes reliquæ, primæque miniſtrant;
Quâ fiat ratione docent hæc publica ſcripta.
Horum felici ſucceſſus ſidere cœptos
Ex animo voveo, creſcat creſcentibus annis

Gloria;

Gloria; crescat Honos; in Te condigna redundent
Præmia virtutum; studiorum laude supremâ
Pertractatorum fructus messisque sequatur.
Tempore sic parvo doctis resonare licebit:
Cingite flore caput, pectus decorate Catenâ
Ac Auro; dignus, cui Summi dentur Honores!

Nobilissimo atq; Pereximio Dn. RESPONDENTI, accuratè elaboratæ Disputationis AUTORI, Amico ob Pietatem atq; Eruditionem solidam inter paucissimos æstimatissimo & Commensali dilectissimo, de egregio specimine gratulaturus hæc scrib. Calamus Officiosus

Jacobi Pantelii, Stralſ. Pom.
SS. Theol. Stud.

Ἰασπίδα καὶ ἄργυρον ἀρετὴ νικᾷ.

Dulce quidem, MAGNIS sese GENITORIBUS ortum
noscere, & hinc titulos posse referre suos;
Sola sed est, homines, VIRTUS, quæ reddere claros
& verâ insignes nobilitate potest.
Unica post bustum pollet, DOCTRINA, beatos
efficere, & doctos tollere ad astra viros.
Quæ quia contigerint pariter TIBI DOCTE SODALIS,
hinc meritò duplicis nomina laudis habes.
Hinc tua TE quondam (nostris Deus, annue votis!)
conspicuo VIRTUS tollet HONORque loco.
Jam MEDICINA sibi tanto nunc gaudet alumno,
indolis excelsæ dum Monimenta nitent:
TEque ornaturum Doctorum fortiter agmen,
haud falsis sperans colligit indiciis.

TU

TU modo sperati mensuram nominis imple,
quodque facis, stratâ currere perge viâ.
TU modo præcipiti, quæ rustica carmina, cannâ
Lusimus (officii múnera parva mei)
Excipe, meque tuum memori sub mente reconde,
mutuaque alternus pectora servet Amor.

Erudito Dn. RESPONDENTI
Debitæ observantiæ ergo
scripsit

Caju[illegible] [illegible]ehling,
Med. [illegible]d.



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967